BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 0
27

A IV c 53

FLAMMIGERA, ET ERVDITA
ANGELI ET HOMINIS
DIALEXIS

IN QVA DIVINVS AMOR
in ipſorum vtriuſq; naturæ conditione, ac reparatione oſtenſus, mirificè commendatur.

In quatuor vigilias diſtributa.

In prima, De multiplici earundem naturarum agitur dignitate
In ſecunda, De incomparabili Deiparæ Virginis excellentia.
In tertia, De ſtatu Eccleſiæ Militantis.
In quarta, De ſtatu Eccleſiæ Triumphantis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Auctore

FR. IO. BAPTISTA OSTIENSI
Ordinis Capuccinorum S. Franciſci
Sacræ Theologiæ Profeſſore.

ROMAE, Apud Stephanum Paulinum. MDCXXII.
SVPERIORVM PERMISSV.

NOs Fr. Clemens à Noto Generalis Miniſter Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum Opus inſcriptum. Flammigera, & erudita Angeli & Hominis dialexis à R.P.F. Ioan. Baptiſta Oſtienſi noſtri inſtituti Theologi compoſitum, & à quibuſdam viris doctis eiuſdem ordinis de mandato noſtro reuiſum, & approbatum concedimus poſſe, ſeruatis ſeruandis, typis mandari. In cuius rei fidem his noſtro ſigillo munitis manu noſtra ſubſcripſimus. Die 21. Maij in hoc loco noſtro Santiſſimæ Conceptionis Genuenſis.

Fr. Clemens à Noto Min. Generalis.

QVæ in hoc opere cui titulus flammigera, & erudita Angeli & hominis Dialexis R. P. Ioan. Baptiſta Oſtienſi ordinis Cappuccinorum Theologo autore continentur; Iuſſu admodum Reuerendi Patris Clementis à Noto Cappuccinorum Generali. Ego Fr. Paulus Romanus eiuſdem inſtituti in conuentu S. Bonauenturæ vrbis ſacræ Theologiæ Lector. accuratè perlegi, nihilque fidei Catholicæ aut bonis moribus diſſonum, quinimo magnam ſacræ Theologiæ partem breuitate, eloquentia, & deuotione congeſtam: ſolidam, & probatam Scolaſticorum Doctrinam ex SS. Patrum & Sacræ Scripturæ viſceribus deſumptam reperi. Qua propter Chriſti fidelibus vtilia & typis mandanda cenſeo. Datum Romæ in noſtro S. Bonauenturæ conuentu. die 6. Maij MDCXXII.

Fr. Paulus Rom. Capucc. manu propria.

OPus inſcriptum, flammigera, & erudita Angeli, & Hominis Dialexis, à R. P. F. Ioanne Baptiſta Oſtienſi, Ordinis S. Franciſci Cappuccinorum Theologo meritiſſimo, Humano ſimul, & Angelico ſtilo contextum, ex commiſſione Admodum R. P. F. Clementis à Noto, eiuſdem inſtituti Generalis, Ego Fr. Baſilius à Florentia Cappuccinus, & Sacræ Theologiæ profeſſor diligenter inſpexi; & quia in eius admirabili progreſſu nihil probis Homi-

num moribus, & Angelorum perſpicaci doctrinæ diſſonum reperi; imò ipſum regulis benè inſtitutę Chriſtianorum vitæ, lumine cœleſtium procerum arcana pandente, nec non ardore corda noſtra ad ſupernum amorem inflammante, methodo facili, elocutione opulenta, ornatu florido vndequaque refertum inueni: vt meritò dici poſſit: Hominum linguis loquitur, & Angelorum. Ideò digniſſimum iudico quàm primùm typis mandari, vt inde Homines humanitate ſeruata Angelicam in terris degere vitam addiſcant. Datum. Romæ Die trigeſima Menſis Aprilis, Anno MDCXXII.

Ego Fr. Baſilius qui ſupra.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſt.

Alexander Epiſcopus Carinolæ Viceſg.

FLammigeram & eruditam Angeli, & Hominis Dialexin quatuor diſtributam vigilijs, auctore R. P. Ioan. Baptiſta Oſtienſi Franciſcano Cappuccino S. Theologiæ Profeſſore, mihi à Reuerendiſſimo P. Hyacintho Petronio Sac. Apoſt. Pal. Mag. lectioni commiſſam diligenti ſcrutinio percurri, nihilq; quod aut Catholica lædat dogmata, aut Chriſtianis moribus aduerſetur occurrit: quinimmo typico dignam prælo cenſeo, vt paſſim à pijs omnibus frequenter lecta, diuinam liberalitatem, immenſaq; homini præſtita beneficia tàm grato animo, quàm aſſidua meditatione recolere valeant. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Edibus SS. Duodecim Apoſtolorum v. cal. Iunij. MDCXXII.

Fr. Bonauentura Paſſarus Nolanus Regens, & Rector Seraphici Collegij almæ vrbis.

Imprimatur.

Fr. Ignatius Ciantes Reuerendiſs. Patris Fr. Hyacinthi Petronij Romani, Sac. Pal. Apoſt. Mag. Soc. Ord. Prædic.

ILLV-

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. GABRIELI S. R. E. CARD. TRESIO.

FR. IOANNES BAPTISTA OSTIENSIS Capuccinus indignus. S. P. D.

CVM probatiſſimum ſit (Religioſiſſime Princeps) vnumquodque naturæ ductu ad ſuum ſimile trahi, eiuſque coniunctionem non minus ardenter, quàm inceſſanter appetere, Meritò tenuis iſte ingenioli mei partus à paternis laribus receſſurus, ſeraphicis

num moribus, & Angeſorum perſpicaci doctrinæ diſſonum reperi; imò ipſum regulis benè inſtitutę Chriſtianorum vitæ, lumine cœleſtium procerum arcana pandente, nec non ardore corda noſtra ad ſupernum amorem inflammante, methodo facili, elocutione opulenta, ornatu florido vndequaque refertum inueni: vt meritò dici poſſit: Hominum linguis loquitur, & Angelorum. Ideò digniſſimum iudico quàm primùm typis mandari, vt inde Homines humanitate ſeruata Angelicam in terris degere vitam addiſcant. Datum. Romæ Die trigeſima Menſis Aprilis, Anno MDCXXII.

Ego Fr. Baſilius qui ſupra.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſt.

Alexander Epiſcopus Carinolæ Viceſg.

FLammigeram & eruditam Angeli, & Hominis Dialexin quatuor diſtributam vigilijs, auctore R. P. Ioan. Baptiſta Oſtienſi Franciſcano Cappuccino S. Theologiæ Profeſſore, mihi à Reuerendiſſimo P. Hyacintho Petronio Sac. Apoſt. Pal. Mag. lectioni commiſſam diligenti ſcrutinio percurri, nihilq; quod aut Catholica lædat dogmata, aut Chriſtianis moribus aduerſetur occurrit: quinimmo typico dignam prælo cenſeo, vt paſſim à pijs omnibus frequenter lecta, diuinam liberalitatem, immenſaq; homini præſtita beneficia tàm grato animo, quàm aſſidua meditatione recolere valeant. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Edibus SS. Duodecim Apoſtolorum v. cal. Iunij. MDCXXII.

Fr. Bonauentura Paſſarus Nolanus Regens, & Rector Seraphici Collegij almæ vrbis.

Imprimatur

Fr. Ignatius Ciantes Reuerendiſs. Patris Fr. Hyacinthi Petronij Romani, Sac. Pal. Apoſt. Mag. Soc. Ord. Prædic.

ILLV-

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. GABRIELI S. R. E. CARD. TRESIO.

FR. IOANNES BAPTISTA OSTIENSIS Capuccinus indignus. S. P. D.

CVM probatiſſimum ſit (Religioſiſſime Princeps) vnumquodque naturæ ductu ad ſuum ſimile trahi, eiuſque coniunctionem non minus ardenter, quàm inceſſanter appetere, Meritò tenuis iſte ingenioli mei partus à paternis laribus receſſurus, ſeraphicis

phicis redundans affectibus, ſeraphicum ſui itineris comitem, vel potius ducem, exoptabat virum, vt dum ardentiori ardens inhæreret, obuios quoſq; ardentiùs inflammaret: meritò inquam, ſi talis eſt, qualem ſua præfert inſcriptio (Flammigera, & erudita Angeli, & hominis dialexis) non niſi illi, qui & diuino flagraret amore, & eximia eſſet eruditione inſignis, dicari ratio poſtulabat. Ad quid enim alij? Nec frigidum pectus ignita cupit eloquia, nec rude ingenium docta appetit inſtituta; quinimo vtrumque concors, illud quidem amoris flammam, iſtud verò ſcientiæ fauum aſpernatur exhibita, refugit exhibenda, negligit exhibentes, vt propterea ſtultum ſit, iuxta Saluatoris conſilium, pretioſas exponere margaritas immundorum pedibus conculcandas. Ego igitur (Cardinalis ampliſſime) patronum, cui hoc opuſculum potiſſimùm commendarem, ſimulq; dicarem, ex his, qui probè lucent, & ardent, ſelecturus; Te vnum inter alios duplici illo titulo inſignitos,

tos,

tos, velut magnum inter igniculos ignem, ſolemq; inter ſidera vidi, non tam purpura, quàm puritate nitentem, generis claritate conſpicuum, ſed magis morum grauitate ſpectabilem, vt potè clarum ſanguine, virtutibus clariorem. Te vnum ſuſpexi, in cuius pectore & cæleſtis ſapientiæ theſaurus venerandum ſibi thalamum conſecrauit, & ſeraphica diuini amoris incendia extra mundi limites propemodũm exulantia regiam poſuerunt: At non huius tantùm flagrantiſſimi domicilij ſic ferunt ſeipſa ſinibus contineri, quin vi caloris vrgente, velut erumpentes ex veſuuio flammæ, longè, lateque diffuſa frigidiſſimos de rebus cæleſtibus mortalium animos calefaciant, & calefactos inflamment. Quod quàm verum ſit, teſtor ego, teſtarer quoq; ſi nollem, ipſa nanque experientia expertum reticere non patitur. Et certè (ò Dei prouidentiam æquo moderamine cuncta ſuauiter diſponẽtem) talibus indigebam, vt vel modicùm poſſem, nimio contractus frigore, calefieri. Nam quo-

quoties pro tua in me ſingulari beneuolentia de rebus diuinis vnà tecum contigit habuiſſe colloquia, vehementi toties, frigidus accedens, incenſus ardore diſceſsi; atq; aditu mihi præſtito, acceſſi ſæpius, huic partui alimenta ſæpius allaturus, talibus nanque eſcis ad hunc vſq; terminum adoleuit, iamque adultus ſub felicibus tanti Principis auſpicijs in lucem pijs auſibus prodit. Hunc itaq; tua magis dignatione allectum, quàm dignitate perterritum lætus excipe venientem, & mittentis, atq; miſſi muneris paruitas, accipientis magnitudine compenſetur. Vale.

AD

AD LECTOREM
PRAEFATIO.

NATVRAE illæ, Angelica ſcilicet, & humana, quæ in ſupremo rerum apice conſtitutæ, ſummi Regis imaginem præferentes, cunctis præſident creaturis: tam multis in ſuis ſtatim primordijs fuere muneribus cumulatæ, tanta principatus magnitudine auctæ, tam multiplicibus eſtant gloriæ, & honoris inſignibus decoratæ, vt meritò oriri poſſet pia inter vtramque contentio, vtra earum videatur eſſe maior: nec facilè, ſtatimq. diffinibilis quæſtio.

Quis enim pulcherrima vel naturalia, vel gratuita earum æſtimare vnquam poterit ornamenta? Quis ampliſſimas earum dotes æqua lance librabit? Quis denique intimè penetrabit, quanto vtramq. Deus ſit proſequutus amore? Hæ nanq. naturæ velut ſorores ambæ cariſſimæ, vnicè dilectas ſummi Patris filias ſe eſſe adoptionis munere gloriantur.

Talia ego ſæpius mecum conferens, ita mecum loquebar. Quid ſi Angelus, & homo de amore ſibi à Deo in tot beneficijs erogandis oſtenſo, ſecum agerent, & cuinam illorum potiora eſſent bona collata, diſquirirent? Homonè Angelum, an Angelus hominem ſuperaret? Dum ſic anceps profunda diù ſuper hoc cogitatione detineor, noua, (cuſtodis Angeli vt puto inſtinctu) ſuperuenit cogitatio, gratum videlicet, aut non omnino diſplicens me facturum, ſi flammigeram, iuxta ac eruditã dinini amoris dielexim inter Angelum, & hominem inſtituerem, vt illis de multiplici dignitatis, amoriſque primatu pia contentione certantibus, & ſua Angelo, ac ſua pariter homine maiora eſſe tuentibus, diuinus vtrique impenſus amor, quantum fieri poteſt, mortalibus innoteſceret; quam modo Deo fauente aggredior.

Quatuor autem vigilijs tota hæc abſoluitur diſputatio. In pri-

ma de donis tam naturalibus, quàm gratuitis Angelo, hominique collatis differunt, vbi vterque victus, victor vterque triumphat, lite ſic inter vtrumque compoſita: Quòd in Angelo perfectiùs elucet ſummi Conditoris imago, in homine ampliora patent diuini amoris indicia, illuſtriora præfulgent diuinæ bonitatis inſignia, eique maiora exhibitæ dilectionis experimenta contingunt. In ſecunda de vnico tantùm, ſed præſtantiſſimo humanæ naturę agitur indiuiduo, hoc eſt, de Deipara ſemper Virgine, quam tota rerum vniuerſitas admiratur, veneratur, obſequitur, ad quam velut ad amoris domicilium, ipſe amor, vt ſe illis communicet, ſuos conuocat amatores. Ibi videre licet, quomodo natura noſtra in hoc vno exiſtens indiuiduo, Angelicam in ſuis cunctis ſuperet exiſtentem, ac propterea felicior hæc in vno, quàm illa in omnibus. Mox totam ipſam, & quæ in terris militat, & quæ in cælis triumphat, percurrunt Eccleſiam, atque ambarum adamuſſim cuncta rimati, tale de eis iudicium ferunt, quòd licèt altera quidem gratiæ, altera verò gloriæ ſit fonte potata, vtraque tamen eſt diuini amoris ebria, potu diſpares, ebrietate pares.

Hinc lectorem admonitum eſſe cupimus, ampliſſima hæc capita, quæ prima fronte leguntur, nos in tota eorum latitudine petractanda minimè ſuſcepiſſe (Nam præter quàm quòd extra noſtrum eſſet inſtitutum, quonam volumine opus eſſet, velle, vt iacent, ea cuncta complécti?) ſed ſub ea tantùm ratione, quatenus diuinus amor in eis mirificè commendatur.

Cæterùm, nos eruditis, pijſque viris in primis ſatisfacere cupientes, id præſertim curauimus, vt quamuis multa, ac varia, & interdum etiam curioſa in hoc opere pertractentur, eruditio tamen, ac pietas, & ſimul comes vtriuſque deuotio in eo principem locum teneant. Vale igitur pie, & erudite lector, & Deum pro me (cum flammigera hæc Diuini amoris eloquia tibi ad manum venerint) deprecare, eique gratias age, ad cuius imperium ex frigido fonte feruens hic riuulus emanauit.

Fr.Geor-

Fr. Georgius Flander Sacerd. Capucc.

Ad pium Lectorem.

SI potata boues Clitumni fluminis albas,
Albos & foetus vnda creare ſolet:
Hoc benè ſpumantes fluuio qui ſorpſerit vrnas,
Purior euadet, candidiorque niue.
Sique ferax Nilus pharias vt perluit oras,
Centupla cultori foenora meſſis alit:
Pneumaticos ſacris irrorans Oſtia lymphis,
Vberius longè noſter opimat agros.
Poeſtanis redimita roſis viridaria paſcens
Sedula mella ſibi dulcia ſudat apes:
Sed magè deflorans ſacrorum lilia, ſuaues
Argumentoſus ſtillat ab ore fauos.
Mella, dapeſque igitur, lector, lymphaſque propina,
Vnde famem poſſis, vnde leuare ſitim.

INDEX CAPITVLORVM

Primæ Vigiliæ.

CAPITVLVM primum. Introducitur Angelus, Qui forma, aſpectuque corporeo coram Theologo ſe conſtituit, eique timenti, ſe bonum Angelum eſſe, blandis verbis, ac multiplici ratione oſtendit. pag. 1

Cap. 2. Angelicam, & humanam naturam non eſſe ad inuicem comparabiles oſtendit Angelus, homine redarguto. 6

Cap. 3. Comparatio vtriuſque naturæ reſpectu viciniöris ad conditorem acceſſus. 12

Cap. 4. Deuota digreſſio de ſtatu animæ cum charitate hinc emigrantis. 16

Cap. 5. Homo ad imaginem Dei conditus, cunctis ſuperior creaturis, cum Angelo de primatu pia æmulatione contendit. 20

Cap. 6. Imago conditoris licèt in vtroque, excellentiùs tamen, & auguſtiùs fulget in Angelo, quàm in homine. pag. 24

Cap. 7. Quam lætus, & feſtiuus Angelorum ortus. 26

Ange-

Cap. 8. *Angelorum productio figuratè ſub Cæli, ac lucis creatione comprehenſa.* 31

Cap. 9. *Homini interroganti ab Angelo ad Angelos pertinentia plura ſoluuntur dubia, & panduntur arcana.* pag. 33

Cap. 10. *Deſperata Dæmonum cum bonis Angelis pace, implacabile inter vtroſq. geritur bellum.* 37

Cap. 11. *Rogatus Angelus à Theologo, de Angelorum prælio, & malorum caſu humano more contexit hiſtoriam.* 39

Cap. 12. *Comparatio vtriuſque naturæ quantum ad lapſum.* pag. 43

Cap. 13. *Quædam de amborum principum caſu curioſa ſoluuntur dubia.* 47

Cap. 14. *Imago Dei quantum ad ſupernaturalia dona magis elucet in homine, quam in Angelo.* 50

Cap. 15. *Natura humana Diuinæ vnita, Angelicam ſupergrediens, illius efficitur Domina.* 53

Cap. 16. *Superexcellens dignitas, & exaltatio naturæ ſuper Angelos, indicat quantus fuerit circa illam diuini amoris exceſſus.* 56

Cap. 17. *De amore Chriſti in beneficiorum erogatione, humanæ magis, quam Angelicæ naturæ oſtenſo.* 59

Cap. 18. *Quàm multipliciter humana natura Deo præ Angelica vniatur, oſtenditur, ac ſublimato propterea homine, inferiori amoris gradu Angelum remanſiſſe conuincitur.* 63

Cap. 19. *Celebrat Angelus nimium erga hominem diuini amoris exceſſum, ab immortali Deo in ea, quam aſſumpſit, mortalitate oſtenſum.* 66

Cap. 20. *Rogatus Angelus profunda dominicæ paſſionis myſteria homini meditanda proponit.* 69

Cap. 21. *Totius tractatus concluſio.* 73

INDEX

INDEX CAPITVLORVM

Secundæ Vigiliæ.

Cap. 1. *PRincipium viarum Dei, Virginem Deiparam, rectiùs quàm luciferum,* Angelus *aſſerit nuncupandam.* 75

Cap. 2. *Eſſe Virginem principium viarum Dei, eique ſoli hunc titulum conuenire, multiplicia eiuſdem tituli myſteria, quæ in ſolam Virginem quadrant,* Angelo *interprete, manifeſtant.* 79

Cap. 3. *Virgo Deipara mons montium Dei, ſoli* Deo *inferior, & cunctis ſuperior creaturis.* 84

Cap. 4. *Maria* Virgo *mons coagulatus, vbi de naturali eius perfectione agitur, & quàm eximia in ea extiterit exterioris hominis pulchritudo oſtenditur.* 88

Cap. 5. Maria Virgo *mons pinguis, vbi de illius gratia agitur.* pag. 92

Cap. 6. *Maria, mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Vbi *de matermitate Dei agitur.* 98

Cap. 7. *Sequitur idem argumentum.* 102

Cap. 8. Colloquium *ſponſę cum paſtoribus de* Aduentu *Meſſię.* pag. 105

Cap. 9. *Secunda pars colloquij.* 111

Cap. 10. *De Gloria* Virginis, *& quàm feſtiuus extiterit illius cum corpore ad cęlum redeuntis ingreſſus.* 121

INDEX

INDEX CAPITVLORVM

Tertiæ Vigiliæ.

Cap. 1. *QVo tempore, & quibus auſpicÿs cœperint Eccleſiæ militantis natalia.* 126

Cap. 2. *Eccleſia cum ſynagoga collata quantò ſit præ illa præſtantior.* 128

Cap. 3. *Quantus, & quàm felix extiterit Eccleſiæ in auctoritate profectus.* 131

Cap. 4. *Temporalis quæ, & quanta ſit Eccleſiæ militantis poteſtas, atque dominum.* 134

Cap. 5. *Quo ſenſu Eccleſia circa fidem, quæ inuariabilis eſt, profeciſſe dicatur.* 137

Cap. 6. *Quænam commoda, atque vtilitates Eccleſiæ adſerant ſæpius celebrata concilia.* 140

Cap. 7. *Qua, & quali pace Eccleſia cum filÿs his temporibus perfruatur.* 144

Cap. 8. *Varÿ Eccleſiæ recenſentur ſtatus, eorumq; perfectio quanta ſit, aperitur.* 149

Cap. 9. *Quàm difficile ſit cœleſtem beatitudinem adipiſci.* 153

INDEX

INDEX
CAPITVLORVM
Quartæ Vigiliæ.

Cap. 1. MVndus ignis incendio expurgatus, quanta, & quàm multiplici pulchritudine decorandus. 160

Cap. 2. Mira, & ſoli Deo poſſibilis reſurrectio electis ingens gaudium allatura. 165

Cap. 3. Extrema mundi dies reprobis infauſta, electis votis omnibus optatiſſima. 170

Cap. 4. Quam felix & feſtiuus ad Ciuitatem triumphi, triumphantium reditus poſt Iudicium. 174

Cap. 5. Maximum fore electorum gaudium in ipſo Cæleſtis regionis ingreſſu ex pulchritudine loci ac bonorum omnium affluentia. 178

Cap. 6. Interrogatus Angelus num vera ibi ſint pro veris hominibus ædificia mirum dat reſponſum. 181

Cap. 7. In fulgentiſſimo Deitatis ſpeculo, totum id, quod realiter Deus eſt; ſed non totum id quod eminenter continet, intuentur electi. 185

Cap. 8. Pulcherrima electorum corpora electis ingens gaudium allatura. 188

Cap. 9. Exuberantiſſima electis futura In exteriore homine ex dotibus ac remuneratis ſenſibus delectatio. 192

Cap. 10. Concors tot millium electorum beata fruentium pace ſocietas concentum ſuauiſſimum effectura. 196

Cap. 11. Deus Clarè viſus, carè poſſeſſus, ſummè dilectus eſſentiale electorum gaudium. 200

INDEX

DE MVLTIPLICI ANGELI, ET HOMINIS DIGNITATE.

VIGILIA PRIMA.

INTRODVCITVR ANGELVS, qui forma, aſpectuque viſibili noctu coram Theologo ſe conſtituit, eiq; timenti, ſe bonum Angelum eſſe, blandis verbis, ac multiplici ratione oſtendit.

CAPVT PRIMVM.

Ang. PAX tibi, vir deſideriorum, quid hic ſolitarius agis? Qua de cauſa, qui iucundus olim, & religioſa alacritate ſpectabilis apparere ſolebas, nunc inſolita neſcio qua mœſtitudine præter ſolitum langues? Virum ſapientem, omnia qualia ſunt, & cuius ponderis, æqua lance librantem. Philoſophum Chriſtianum, omnem terrenorum altitudinem ſcabellum pedibus ſubſternentem. Militem Chriſti ad regnum, virtute comite, generoſis auſibus adſpirantem. Hominem Dei mundana ſpernentem gaudia, ſpeq; firma, cæleſtia interim expectantem; gaudere ſic ſemper oportet, vt

nunquam niſi de peccato decent contriſtari! Nam ſicut non eſt gaudere impijs,ita nec iuſtis, nec rectis corde triſtari.

Ho. Adſis Ieſu bone, ſuccurre, & me tua cruce redemptum, crucis tuere præſidio. Quæ nam tanta in nocte claritas diei claritate ſplendidior? quæ lux hoc noſtrum nullis aut ſolis], aut lunæ radijs peruium circumfulget hoſpitium? quæ nam portenta inter horrores, timoreſq; nocturnos mihi ſe obiectant inuiſa? Dormio ne,an vigilo? quem video? quem loquentem audio?

Ang. Angelum pacis, quem videre, & alloqui tantopere cupiebas. Poſt tot oblatas Deo preces altis ex profundo corde ſuſpirijs, ac lachrymis comitatas, vt meo aliquando viſibili dignareris aſpectu,ad votum tandem, & ad profectum ſimul exaudiri feliciter meruiſti. Igitur qui non exaudiri timebas, exauditus timere iam deſine.

Ho. Timeo, & timentē nihilominus tua me oblectat pulchritudo; formoſus me demulcet aſpectus, ſed ſpectrum me deterret inuiſum. Tu ne ille es, quem ſumma Maieſtas meæ paruitatis memor ad mei cuſtodiam deputauit? qui magna cura, ac diligenti ſtudio aſſiduè me cuſtodis? quem videre, & alloqui millies concupiui? cui inter alios cæleſtis curiæ proceres, vna excepta Virgine præ omnibus veneranda, omnem debeo reuerentiam?

Ang. Ego, qui tibi inuiſibiliter ſemper adſum, te cuſtodiens, & protegens,teq; ad bonum indeſinenter promouens, tam diu deſideratus à te viſibiliter cerni,nunc tandem ecce coram te viſibilis aſto.

Ho. Non audeo,imò nec debeo, nocturno præſertim tempore tanta cum ſuſpicione laruarum, tibi de te ipſo teſtimonium perhibenti indubitatam habere fidem; cum ſanctiſſimos quoq; viros ab Angelo Satanæ lucis Angelum ſe fingente illuſos, ac deceptos eſſe nouerim. Deinde Cuſtodes Angeli non niſi quibuſdam eximia ſanctitate viris, ac mulieribus apparuiſſe leguntur, in quorum numero mei ſimiles inueniri, nefas eſt arbitrari.

Ang. Et cuinam Deus ſua conferret beneficia,ſi dignis ea tantùm conferret? Cuſtodes Angelos nedum perfectis, ſed imperfectis quoq; quinimò, & peccatoribus viſibiliter adfuiſſe, ſacrarum Scripturarum quam plurima non deſunt teſtimonia, quæ ſi per te ſcrutari attentè volueris, in his multiplicem au-

dies

dies inſonantem Angeli vocem, forma, aſpectuq; corporeo ſe viſibilem exhibentis, pro delictis increpantis, ad bonum impedientia auferentis, vincula, catenaſq; ſoluentis; Inſuper viſus eſt in peregrinatione comes, in via ductor, in itenere confortator; Deniq; agnitus eſt deijcere hoſtes, arcere Dæmonia, docere ſalubria, reuelare myſteria, infirmum, & afflictum dulciter conſolari, tentatum adiuuare, pro ſibi commiſſo orare, orationeſq; deferre. Hoc autem priuilegium, Angelum ſcilicet viſibiliter intueri, ipſe Deus, cuius incomprehenſibilia ſunt iudicia, nec ſingulis concedit perfectis, nec omnibus denegat imperfectis.

Angelicæ cuſtodię beneficia quam plurima recenſentur.

Thobię ca 5. & deinceps per totum.

Ho. Dictis credo, dicenti adhuc credere pertimeſco, cum ſit iuſſum nobis non omni ſpiritui credere, ſed ſi ex Deo ſint, eos probare prius; Qua propter, ſi bonus Angelus es, confitere Chriſtum in carne ueniſſe.

Ang. Id me ad confitendum hortaris, quod alios confiteri ardētiſſimè ſemper ſitio. Venit ſiquidem uniuerſitatis creator, & Dominus, venit ad homines, uenit propter homines, venit homo, hoc eſt Chriſtum in carne veniſſe.

Ho. Vltro currenti video me addidiſſe calcaria, veram de primo Redemptoris aduentu confeſſionem edidiſti, ſed adhuc pauidus, & incertus de veritate animus non quieſcit, nam poteſt, & improbus probè loqui, & malus bona verba proferre, vt incautos ſimulata bonitate decipiat. Audio confitentem, ſed quia confitentis mentem ignoro, nondum te bonum Angelum eſſe omnimoda ſecuritate deprehendo, nam Apoſtatæ quoq; ſpiritus fatentur hoc idem.

Ang. Quod illi triſtes, & miſerrimè eiulantes confitentur inuiti, ſponte ego, & alacris lætiſſima confeſſionis voce concelebro; ſed vide quàm cautè in credendo homo iſte ſe gerit.

Ho. Quid vltra de Chriſto, & in Chriſto diſtinctiùs credis, & confiteris?

Ang. Ah quid ais? Theologum agis, & ſic interrogas? An neſcis comprehenſorem confiteri quidem poſſe, credere nullatenus poſſe, cum de arcanis Dei non fidem, ſed euidentiam habeat?

Ho. Æſtimo nullius eſſe momenti ignorantiæ nota taxari, vt cautiùs illuſionis, ac deceptionis periculum vitem.

Ang. In Chriſto igitur Redemptore, vero Deo, & homine

vnam tantum perſonam in duabus, & ex duabus naturis ſubſiſtentem, & noſtra,atq; veſtra pariter confitetur Eccleſia, altera obſcuro fidei lumine illuſtrata, altera claro gloriæ irradiata fulgore.

Angelus plurimas de Incarnatione hæreſes bréui conceſſione confutat.

Ho. Paucis multas de Incarnatione hæreſes confutaſti, eorum ſcilicet, qui duas in Chriſto perſonas ſingulari quodam excellentiſſimæ charitatis affectu unitas fuiſſe ponebant, quod perinde eſt ac dicere, Chriſtum purum hominem eſſe, vnitum Deo vnione tantùm gratuita, vt cæteri,ſed præ cæteris ipſe,uniuntur electi. Et eorum, qui veram inter vtramque naturam vnionem interceſſiſſe negabant, ac propterea vnam, vel alteram tantummodo naturam Chriſto tribuentes, ipſum, vel ſolum Deum, vel ſolum hominem nefariè confingebant. Et eorum,qui vnam ſimiliter in Chriſto naturam, ſed ex vnione duarum reſultantem ponebant, vel quia humana in diuinam, vel quia diuina fuerit in humanam conuerſa, vel quia ex duabus illis naturis confuſis, eſſentialiterque mutatis vna tertia conflata proceſſerit. Sic olim uariæ diuerſarum hæreſum ſectæ poſſeſſæ à Dæmone delirabant, quorum deliramenta vtinam vel nunc euaneſcerent, vel ſaltem his ſtolidiora, & nequiora non eſſent.

Ego igitur tertiò ſigno crucis Dæmonum expultricis adhibito, & Ieſu nomine pluries inuocato, teq; illum deuotiſſimè confitente, certior paulatim fio, te bonum Angelum eſſe, & præſertim eum,ſub cuius tutela,atq; ducatu,& miles pugno,& viator ad Patriam pergo.

Ang. Eia nunc,iam ſatis in ancipite pependiſti,macte animo, macte uirtute eſto cariſſime, & multiplici adhibita cautione, Cuſtodi tuo te fideliter alloquenti indubitanter crede; Crux enim, qua tremens te ſignaſti communis eſt utriq; noſtrum gloriatio, Ieſus, quem tibi oportunè adeſſe fidiſſimè inuocaſti, adſit nobiſcum ſemper; & huic præſertim noſtro dignetur intereſſe colloquio.

Homo ex verbis Angeli mira affectus dulcedine, eū tandē agnoſcit.

Ho. Dulciſſima hæc verba, quia alterius eſſe nequeunt, quàm Angeli pacis, & ciuis ſupernæ illius Ciuitatis Ieruſalem, quæ eſt perpetuæ pacis viſio, apertiſſimè conteſtantur te eſſe quem dicis. Sed vnde tam grandis perſonæ tanta mecum dignatio, qui puluis ſum, & cinis in nihilum euaneſcens?

Ang. In ſupernis ſpiritibus non ſolum admirabilis dignitas, ſed etiam dignatio amabilis inuenitur. Attamen nimium

mium admiraris, quod minus eſt admiratione dignum. Vnde potius tanta Conditoris noſtri condeſcenſio, compaſſio, miſeratio, amor, & pietas erga hominem? Quid mirum eſt, Angelum homini ad horam viſibiliter apparere, cum Deus ipſe ueſtra carne indutus, ea nunquam poſt modum exuturus, in terris viſus ſit homo cum hominibus conuerſari, pro hominibus pati, mortemq; ſubire? Hæc eſt dignatio, quam ſatis admirari per totam deinceps æternitatem ipſi nequibunt Angeli; in altiorem ſemper ſtuporis extaſim rapiendi.

Ho. Propterea homines poſt Chriſti aduentum ſummopere ab Angelis diligi, magna vbiq; viget opinio.

Homines poſt Chriſti in carne adventum ab Angelis ſūmoperè diliguntur.

Ang. Imò indubitatam oportet eſſe ſententiam, quam fides aſtruit, experientia docet, ratioq; conuincit, imitantibus nobis Regem noſtrum, qui in carne veniens, tam amabilem ſe exhibuit, vt homines ſuimet fratres, ſuiq; Patris Filios immenſo propriæ vitæ diſpendio conſtitueret; Cuius tanta ſuper vos, & tam lata miſericordiæ viſcera patuerunt, vt intima diuini amoris arcana nulli unquam cognita innoteſcerent vniuerſis, dum eius benignitas ſic apparuit, vt non poſſet amplius declarari, nec abundantius exprimi, nec euidentius commendari. Nos igitur ſerui Dominum imitantes, quos ille diligit, charitate vrgente diligimus, & eos vt fratres, conciueſq; noſtros dilectiſſimos benignè, & carè vbique amplectimur, & maiore adhuc dilectione eos, quos cuſtodiunt, Angeli proſequuntur.

Ho. Dulciora ſuper mel, & fauum experior verba tua, cariſſime; ſcio inter eximia, & ſingularia Dei dona, ac beneficia homini ſignanter collata, Angelicæ Cuſtodiæ beneficium computari, quid enim miſer, quid fragilis inter inſidias, inter laqueos, & retia Dæmonum aucupantium ageret homo Angelico præſidio deſtitutus? Quapropter, nos quoque quoad poſſumus, vobis amoris vicem rependimus, alioquin odioſiſſimum ingrati animi vitium gratitudinis legem frangeret, noſq; ueſtris beneficijs, ueſtroq; amore indigni turpiter redderemur; Nam quemadmodum inſignis bonitatis eſt, vt quis non redamatus amet; ſic ſummæ ingratitudinis eſt, amatum non redamare amantem: Quinimo, etiam ſi beneficia, quæ nos, Angelos ad amandum vrgerent, nulla eſſent, adhuc quia prima ratio diligendi eſt ſumma bonitas, vos qui tantum, & tam prope ſummæ illius bonitatis effecti eſtis

Grata nimis, inſigniſq; hominis ad Angelum reſpōſio.

parti-

participes, ſic vos ipſos amabiles exhibetis, vt cor noſtrum, quod ſemper ad ſummum bonum anhelat, ad vos dulciter rapiatis, ſed ſi tantum amoris conciliatis in via vix cogniti, & in propria eſſentia nullatenus viſi, quid non amoris extorquetis in patria, plenè ibi cogniti, & clarè viſi?

Ang. Quapropter confide, cariſſime, & me viſo, & agnito, quantum videri fas eſt in via, à deceptione immunis incuſſum excute metum.

Ho. Agnita perſona, diffugit quidem metus, ſed repente adfuit reuerentiæ timor, timor inquã, loquendi; Quid enim, aut quomodo Angelicæ maieſtati vilis loquetur vermiculus? & loqui tamen, & multa tecum conferre, ſi cuperem nouit Deus, & te quoq; non latet.

Ang. Quemadmodum veritatis agnitio, perplexitatem abſtulit, metumq; excuſſit, ſic charitas foras mittat timorem. Me igitur, qui tecum loquor, clara luce deprehenſo, non eſt amplius cur timeas, mecum loqui. Aude igitur, & confide, plenamq; deinceps proponendi, interrogandi, reſpondendi, & contradicendi etiam confidentiam habe, non aliter quàm ſi tuum, & cunctis cariorẽ alloquereris amicum, nam & ſi non homo, alio tamen quouis homine hominis ſum amicior, & illius præſertim, quem cuſtodio. ſimiliter, ſi aliquid ex me, velut increpantis more audieris, vel etiam in aliquo te reprehendero, ne turberis, ſed auctoritatem dilectione ſuauem Angelici ſpiritus te cuſtodientis agnoſce.

Angelus plenã reſpondẽdi, ac interrogandi homini confidentiam præbet.

Ho. Si ſic eſt, & veniam delinquenti (ſi quid fortè præter intentum deliquero) tam clementer indulges, ſecurius te duce, ac docente, ſolitarius, ſed non ſolus, proſequar quo tendebam.

ANGELICAM, ET HVMANAM naturam non eſſe ad inuicem comparabiles oſtendit Angelus, homine redarguto.

CAPVT SECVNDVM.

Ho. EGO igitur, Angele Dei, deuota quadam (ni fallor) curioſitate affectus, ſcire vehementer cupio, vtra naturarum Angelica ne, an humana alteram ſuperet excellentia, quæue illarum ſui Conditoris fuerit maiorem experta dilectio-

lectionem. Et mihi quidem ad prædulcem harum naturarum contemplationem adeſt genius, ingenium deeſt: Velle adiacet, ſed exequi propemodum deſperatur, & hac potiſsimum cauſa triſtis præter ſolitum langueo.

Ang. Arduum nimis, & propemodum ſupra vires aggrederis opus, remq; difficilem verſas, & quæ multa indiget ſpeculatione, in qua tamen egregiè diuinarum perfectionum, & amoris præſertim in his condendis, reparandiſq; naturis elucet immenſitas.

Ho. Rem difficilem verſo, & quo me vertam, neſcio; Namque præclara tam multa vtriuſq; naturæ ſpeculando ſe offerunt, vt non facile ſit meæ præſertim intelligentiæ de ipſarum dignitate, & excellentia iudicium ferre. Si quæ inſunt vni, contemplor, mox hanc excedentem, & exceſſam alteram æſtimo, & contra, ſi in alteram mentis aciem dirigo, & quæ illi adſunt, attentè conſidero, excedentem aſſero, quam exceſſam credebam: ſicque viciſſim vtraq; & excedens, & exceſſa videtur.

Ang. Naturæ iſtæ, quæ in ſupremo rerum faſtigio conſtitutæ cunctis præſident creaturis, omnium quidem ſuperant excellentias, ſed ipſarum neutra in proprijs excellentijs venit cum altera comparabilis.

Angelus, & homo, eorúq; excellentiæ nequeũt propriè ad inuicem comparari.

Ho. Incredibile ſanè dictum, ſi alio, quam Angelico eſſet ore prolatum, & alterius, quam cæleſtis Magiſtri auctoritate ſuffultum. Cæterum, ſi naturalis Philophus hoc aſſereret, ſic contra illum inſtarem. In his tantum nulla eſt ad inuicem comparatio, quorum inter ſe nulla eſt proportio, ideo enim finiti ad infinitum nulla eſt comparatio, quia nec proportio: Sed inter finita quæcumq; illa ſint, & quocunq; inter ſe ſuperent, vel ſuperentur exceſſu, ſemper aliqua eſt proportio, ergo aliqua inter ſe neceſſe eſt intercedat comparatio. Quare igitur inter Angeli, hominiſq; naturas ſuis quibuſq; terminis limitatas nulla erit comparatio?

Contra aſſertum Angeli arguit homo.

Ang. Subtile, & manibus plauſibile argumentum: Hoc modo vermiculus quoq; & viliſſima quæq; res erit cum Angelo comparabilis; impropria omnino, & noſtræ inquiſitioni inutilis eſt huiuſmodi comparatio. Itaq; ſolidè loquendo, vt Philophum, non ſophiſticum decet. Diuerſarum naturarum diuerſæ ſunt excellentiæ, quæ non habent propriè ad inuicem comparari, ſicut neque ipſæ inter ſe naturæ, & præſer-

Philoſophica Angeli, & hominis concertatio de ipſorum vtriuſq; naturæ conuenientia.

tim

tim iſtæ genere differentes.

Ho. Mirum videri poſſet alicui, quomodo duæ iſtæ naturæ, ſorores ambæ cariſsimæ, vnicæ ſummi Patris Filiæ, quas idem Pater propria inſigniuit imagine, non ſint etiam generis propinquitate coniunctæ, in quo conueniant,& ad inuicem comparentur.

Ang. Circa rem ſatis notam non licèt, præſertim ſcientificum admirari; Notum eſt enim ea propriè, & legitimè ad inuicem comparari, quæ ſub vnius naturæ limite continentur, quatenus magis, vel minus eiuſdem naturæ participant excellentiam. Hinc diuerſarum ſpecierum,& multo minus diuerſorum generum indiuidua,ipſorũq; proprietates,perfectiones,& excellentiæ nequeunt, niſi remotè admodum, & impropriè ad inuicem comparari, ſed vnumquodq; cum cæteris ſuæ ſpeciei indiuiduis propriſſimè comparatur. Ex his ſole clarius patet, inter Angelum,& hominem comparationem fieri non poſſe.

Ho. Angelus,& homo licèt diuerſis diſſocientur naturis, ſociantur tamen in eo, quod eſt in vtroq; idem,& præcipuum, vterque enim intellectualis eſt.

Ang. Vterque intellectualis, ſed intellectuale vtriuſque non idem; Intellectuale enim hominis (præter quam quod non eſt purum, ſed ratione commiſtum, & obumbratum) aut vnitum, aut ſaltem vnibile ſuæ ſemper oportet eſſe materiæ; Intellectuale vero Angelicum purum,& ſeparatum omnino.

Ho. Eſto Angelus,& homo etiam quatenus vterque intellectualis, quia intellectuale vtriuſque diuerſum, diuerſarum ſint naturarum,non tamen ſequitur,quod ipſorum excellentiæ non poſſint adinuicem comparari, ſiquidem plurium Angelorum excellentiæ adinuicem comparantur, & nihilominus ipſorum ſinguli diuerſam habent nuturam ſpecie ab alio differentem.

Ang. Quis hoc dicit?

Ho. Ille, qui etſi nõ Angelus,Angelici tamẽ nomen habet.

Ang. Si is,qui Angelicus eſt, hoc dicit, alius, qui ſeraphicus eſt, contrarium aſſerit, plures ſcilicet ſub vna ſpecie Angelos contineri.

Ho. Parum hoc intereſt.Excellentiæ vnius,& alterius Angeli ſpecie ab inuicem differentium poſſunt adinuicem comparari?

Ang. Poſſunt,licet non omnifariam propriè.

Ho. Non igitur impedit naturarum diuerſitas, quin rectè inter ipſas naturas quocunque modo diuerſas comparatio fieri poſsit.

Ang. Arte ne dialectica polles?

Ho. Neſcio an bene dicam,vtinam non pollerem.

Ang. Hac facultate pollentium quamplurimos curioſos, perpaucos verò deuotos inueniri, ipſa euidentia docet.

Dialecticis familiarior curioſitas, quã deuotio.

Ho. Ars iſta tali nota Angelica præſertim ſententia non deberet inuri, ſed potiùs laudari, vt verè laudabilis eſt,& nobis ignorantia multiplici laborantibus apprimè neceſſaria, quippe quæ homini ignorantiæ tenebris inuoluto lumen præbet, rectamque veritatis indagandæ methodum ſe bene vtentibus tradit, meritoque propterea viri doctrina,ac pietate inſignes artem artium, & ſcientiam ſcientiarum appellandam putarunt, licèt eam irrideant imperiti,quaſi ieiunam, ſpinoſam,horridam, ſqualidam,ſterilem,inanem,inutilem,nomine etiam odioſo, ſophiſticam appellantes.

Ang. Non damnamus artem, ſed ea malè vtentes reprehendimus, eos videlicet, qui cauillis,ac ſophiſticis rationibus non obſcura declarant,ſed declarata obnubilant; Non confuſa diſtinguunt, ſed diſtincta confundunt; A falſis vera non ſeparant, ſed ſeparata commiſcent. Et certè conſequentia à te illata non niſi Dialectici cauillantis eſſe poteſt: Non enim æqualis differentia eſt inter hominem, & Angelum genere differentes; & inter Angelum, & Angelum, qui ſpecie tantum differunt; Diuerſitas ſpecifica relinquit conuenientiam in genere,generica vero nullam.

Angelus non dialecticam, ſed ea malè vtentes damnat.

Ho. Diuerſitas generum ſubalternatim poſitorum relinquit conuenientiam,in genere ſaltem ſupremo.

Ang. Sed ſpecies, & genera ſubalterna ſecundum conuenientiam, quam in ſupremo genere habent, non poſſunt ad inuicem comparari,niſi (vti dixi) remote admodum,& valde impropriè.Igitur,ea, quæ ſunt Angelorum ſub eadem ſpecie contentorum(hac facta hypotheſi) (quomodo enim res ſe habeat, non dico, quia non expedit) propriiſsimè ad inuicem comparantur, quæ vero ſunt Angelorum ſpecie ad inuicem differentium, propriè; quæ autem ſunt Angeli, & hominis valde impropriè, eo quod non niſi generaliſsimè conuenientiam teneant.

Ho. Quod Philoſophus diceret. Ea, quæ intra vnius ſpeciei latitudinem continētur, proprijſsimè ad inuicem comparantur, quæ verò intra vnius generis latitudinem clauduntur, minus propriè; quæ autem ſub diuerſis reconduntur generibus, etiam ſubalternatim poſitis, improprijſsimè.

Homo redargutus ab Angelo compungitur, & ſuā defiet in ſciētijs vanitatē.

Ang. Tertio hoc modo ſe habent Angelus, & homo, & eorum ad inuicem excellentiæ. Attamen arida hæc verba ſucco deuotionis expertia, non ſunt ſæpius in hiſce noſtris diuini amoris colloquijs repetenda. Sed quid habes iterum triſtis, animoque deiectus?

Ho. Compungor, & confundor in memetipſo, & vix nunc teneo lachrymas, recogitans miſer, quod paulo ante dicebas, me videlicet dialectica arte pollentem, curioſum quidem, ſed deuotum eſſe non poſſe. Verè fateor ita eſſe, me etenim tot annis in hiſce diſciplinis exercitum, non ſcientiæ cauſa, ſed ſcientifici culpa, ſpiritus deuotionis penitus dereliquit. Heu quoties, vt de reliquis taceam, de Auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento ſubtiliſsimè diſputaui, & indeuotiſsimè ſumpſi. Ad ſtuporem audientium proponebam quonam pacto ſpecies illæ ſacramentales ſua viduatæ ſubſtantiæ corpus enutriant, & imbecillem animam pane illo cæleſti propemodum enutrire contempſi, non quia raró, ſed quia negligenter accepi.

Et quod miſerabilius eſt, alios erudiui, ſublimium ſcientiarum magiſter, & ego à iuuentute ad hanc vſq; ætatem ſenectuti confinem, in ſchola Chriſti verſatus, nec primam quidem abecedariæ literam diſcere vnquam potui. Ama neſciri & pro nihilo reputari. Reus fui in ſæculo, reus ſum in clauſtro, ſed ibi per ignorantiam, hic per negligentiam, & vtrumque me terret; verumtamen multo amplius terret me, quod in Monaſterio ante conſpectum Dei deteriorem me inuenio. Collocauit me Dominus in loco voluptatis, in domo vbertatis, in paradiſo delitiarum; Ego vero miſer, & miſerabilis inter menſas epulantium fame pereo; iuxta fontem ſitio; ante ignem algeo. Ita tempus amiſi, quod Deus ſua pietate indulſerat ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad conquirendam gratiam, ad promerendam gloriam.

Cōmunis Magiſtrorū morbus quinam ſit.

Ang. Non tu ſingulariter ſolus, hic eſt communis morbus omnium ferè hoc tempore florentium magiſtrorum. O quàm multos ſic compungi, & confundi oporteret, qui cum deberent magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigent edoceri, quæ

ſint elementa exordij ſermonum Dei.

Ho. O videntium cæcitas, prudentium imprudentia, & ſapientium inſipiētia magna, quænam tanta nos apprehendit inſania? inanem ſequimur gloriam, confuſionem miſeri, & ignominiam appreheſuri; Ardemus perditi ad momentum inaniter honorari, & veri, æternique honoris culmen paruipendimus adipiſci; ſublimitatem quærimus, & cælum ſpernimus; In ſublime extollimur, & inde in præceps ruimus perituri. Nūc Angele Dei, apertè cognoſco, ſi vtrunque non fit, ſi alterum deeſſe conuenit, melius eſſe facere, & non docere, quàm docere, & non facere.

Ang. Fili mi, Nemo poteſt in valle ſtare, & de monte loqui, ſed aut vbi ſtas, ibi loquendum, aut vbi loqueris, ibi ſtandum. Plures ſunt hodie qui de perfectione diſputant, quid ſit, quàm qui eam teneant, vel à longè ſequantur. Quid ſit virtus facilè norunt & virtutis hoſtes, non vt ea benè vtantur, ſed vt de ea congruè, rectèque loquantur, ſic vanitatem præferunt ſanctitati, potiùs videri ſanctos, quàm eſſe eligentes.

Plures hodie de perfectione diſputant, ſed pauci eā ſequuntur.

Ho. Viuus eſt hic ſermo, & ad lachrymas extorquendum efficax; experior ego, qui eas cohibere vltra non poſſum.

Ang. Vide, de repente quam largiter flere cœpit. Lachrymæ aut compuncti cordis, aut deiecti animi ſunt indicia: ſi compunct[i] cordis indicia, pretioſæ, ſi deiecti animi, viles. Vera ſuiipſius cognitio deprimit, ſed non deijcit Chriſtianum ſe humiliter agnoſcentem. In ſchola Chriſti nulla ætas ad diſcendum infirma, nunc incipe Chriſti eſſe diſcipulus, diſce virilis, & propemodum ſenex, quod iuuenis diſcere renuiſti.

Lachrymæ quandoq; cōpūcti cordis, quandoque deiecti animi ſunt indicia.

Ho. Faxit Deus, vt quod florens non feci, nunc marceſcens efficiam, ſed timeo, ne tu iuſtè indignatus me dedigneris indignum, me namque dedignari meritò poſſes, & eo amplius dedignari, quo ego aut minus modeſtè, aut nimis audacter loquens, non eam, quæ Angelicam præſentiam decet, reuerentiam habeo. Cæterum ſi nulla inter Angelum, & hominem comparatio fieri poteſt, non eſt mihi aliquid vltra quærendum, perit deſiderium, euaneſcit ſpes, aditus intercluditur, ne vlterius quo tendebam, progrediar.

COMPARATIO VTRIVSQVE NATVRAE *reſpectu vicinioris ad Conditorem acceſſus.*

CAPVT TERTIVM.

Ang. PVſilli cordis, animoque impatiens, tam citò deſperas? ſic firmum tenes de re tam ardua inconcuſſa ſtabilitate propoſitum? Sic repentè amareſcit prædulcis illa ſublimium naturarum contemplatio? Ideo ad hanc te deduxi anguſtiam, vt intelligas, quàm infirma, & inualida ſit ad res diuinas capeſſendas humana carens deuotione ſcientia. Cæterum, rectè inter Angelum, & hominem comparatio fieri poteſt, non prout alter alterum reſpicit, obiectis adinuicem diuerſorum ordinum excellentijs, ſed quatenus communem vterque reſpicit Conditorem, à quo ambæ naturæ ipſum eſſe, & quicquid ſuperadditum habent, receperunt: Vt illa natura excellentius condita, & excellentior eſſe dicatur, quæ ſuo magis appropinquat Conditori.

Quomodo inter Angelũ, & hominem cõparatio fieri poſſit.

Ho. Idem teneo inconcuſſa ſtabilitate propoſitum, nec illud vnquam mutabo, etiam ſi fractus illabatur Orbis; Nec harum ſublimium naturarum ſemper mihi prædulcis, nunc amareſcit contemplatio, imò ad eam vlterius pertingendi ſpes penè ablata amaritudinem mihi attulit; & mœrorem: Quid enim amarius eſſe poteſt, quàm optata diu ſpirituali dulcedine oportuno tempore non potiri? Attamen agnoſco cautionem Angelica prouidentia dignam, ideo namque proprijs me conuictum argutijs, obmuteſcere decreuiſti, vt ex tot ſalebroſis dialecticarum anfractibus, argumentorumque dumetis, per quæ vertiginoſa diuagantur ingenia, me quoque abſtraheres aberrantem, vt pleniore via, deuotè magis, quàm argutè iter proſequamur incœptum.

Quis ſit laberintus, per quem vertiginoſa diuagantur ingenia.

Igitur eam naturam excellentiorem altera cenſendam eſſe dixiſti, quæ ſuo magis appropinquat Conditori. Si placet, mihi addendum quoque videtur, quod illa natura ſit excellentior, quæ excellentiora dona in ſui conditione ab ipſo Conditore recepit.

Ea natura excellentior cenſenda eſt quæ ſuo magis appropinquat Conditori.

Ang. Additamentum ſenſatum, ſed redit in idem, nam quanto magis aliquid appropinquat ſuo principio, tanto melius, perfectius, & excellentius illius participat bonitatem, ſui

autem

autem principij melius, perfectius, & excellentius bonitatem participare, eſt meliora, perfectiora, & excellentiora dona ab eo præ alijs accepiſſe.

Ho. Excellentiora, & perfectiora dona ab ipſo Conditore Angelum, vel hominem accepiſſe, intelligo etiam excellentiùs, & perfectiùs fuiſſe Conditoris imagine inſignitum.

Ang. Quouis modo intelligas, in vnum tamen coincidunt quæ dixiſti, videlicet excellentius, & perfectius eſſe Conditoris Imagine inſignitum, & viciniorem ad illum habere acceſſum; Non enim verborum diuerſitas, ſed rerum identitas eſt attendenda, nec deerit occaſio (ſi qua ſit rerum quoque diuerſitas) in proceſſu ſermonis diſtinctim ſingula pertractandi. Si ergo illa natura eſt excellentior, quæ ſuo magis appropinquat Conditori, multum per omnem modum Angelica excedit humanam.

Ho. Quæ dicis, niſi ratione confirmes, non ſatis probo, quia non ſatis fortaſſe intelligo.

Ang. Incorpoream, & ſpiritualem naturam magis quam corpoream Deo appropinquare, qui ſpiritus puriſsimus eſt, & ab omni quouis modo intellecta materia remotiſsimus, omnique prorſus compoſitionis expers, probatione non indiget.

Ho. Sed ſub nomine corporeæ naturæ natura noſtra non venit omnino, ſed potius in cofinio corporeorum, & incorporeorum poſita eſt, velut vtrarumque Orizon naturarum. Et rationalis anima, quæ eſt ipſius hominis forma, & natura magis quam materia, incorporea eſt, & ſpiritualis.

Homo in cõfinio corporeæ, & incorporeæ naturæ poſitus eſt vtriuſq; Orizon.

Ang. Corporea, & incorporea natura (neutra tamen integra, & perfecta) vnum integrant hominem, qui, propterea quod ſpiritu, & corpore ſit conſtans, in confinio corporalium, & ſpiritualium dicitur conſtitutus. Ipſa verò anima licet incorporea ſit, & ſpiritualis, adhuc tamen multo inferior Angelo perfectam, & completam habente naturam, quam ſecundum ſe, & ſeorſum ſumpta minimè habet anima, vtpote quæ ſit imperfectum quid, & incompletum, pars totius non totum.

Anima reſpectu compoſiti, eſt imperfectum quid, & incompletum, pars totius non totum.

Ho. Quamuis anima non ſit perſona, ſed potiſsima eius pars, tamen ſeparata ſubſiſtit, & in omnibus ferè conuenit cum cæteris expertibus materiæ formis, hoc vno dumtaxat excepto, quod vniri corpori, cuius eſt forma, ſemper appetit; De reliquo, ad modum illarum intelligit, eſtque capax gloriæ, &

pœnæ,

pœnæ,& beata communes habet cum beatis Angelis dotes, Deum namque videt,eum poſſidet,eoque fruitur.

Ang. Modus intelligendi per ſpecies à Deo influxas (quas alij participatas diuinæ eſſentiæ ſimilitudines vocant) licèt ſit vtrique communis,Angelo ſcilicet,& animæ ſeparatæ, Angelo nihilominus eſt naturalis,animæ verò præter naturam.Modum enim exiſtendi modū ſequitur operandi;At verò modus exiſtendi animæ ſine corpore eſt præter naturam, igitur modus quoque intelligendi ſine aliqua à corpore dependentia, præter naturam illi erit.

Anima ſeparatam intelligere ad modum Angeli, illi præter naturam ineſt.

Ho. Quod anima ſeparata iterum corpori vniatur, eſt ne opus naturæ,an miraculum?

Ang. Miraculum, & miraculorum maximum.

Ho. Igitur ſecluſo miraculo, perpetuò eam corpore viduatam præter naturam exiſtere, & intelligere oportet.

Ang. Animam à corpore ſeparari, non eſt conditio naturæ inſtitutæ,ſed pœna corruptæ.

Ho. Sed quia nullum violentum perpetuum;dicerem ego, modum exiſtendi,& intelligendi Angeli, animæ quoque ſeparatæ naturaliter conuenire, quatenus & ipſa forma eſt immaterialis.

Ang. Anima ita in ſe immaterialis eſt, vt ſit etiam forma in materia,etſi non ſemper vnita,ſemper tamen vnibilis,quod vnibilis ſit, & vnita, ſecundum naturam eſt, quod verò non vniatur,& non vnita intelligat,præter naturam. Illud autem, quod eſt contra, non quod præter naturam eſt,dicitur violentum; Quapropter ſi anima expers corporis ſemper eſſet,non violenta maneret,ſed totum, quod ſibi competit,non haberet.

Ho. Reſurrectionis neceſſitas hinc apparet, eamque naturalis Philophus ex hoc capite comprobaret, ne videlicet naturalis res præter naturam eſſe æterno tempore cogeretur.

Corporū reſurrectio naturæ viribus impoſſibilis, naturaliter probari non poteſt.

Ang. Nihil neceſſarium, quod eſt naturaliter impoſſibile, corporum reſurrectio naturæ viribus eſt impoſſibilis,non igitur neceſſaria,nec naturæ debita. Sed quorum iſta? Quocunque te verteris,& in quouis ſtatu animam conſtituere, & conſiderare volueris, & quicquid de ea dixeris,præclarum licèt,& egregium, ei nec minimum quidem præſtat, quin infima non ſit in genere intellectualium, vel meliùs dicam, extra,& infra ipſorum genus, cuius certè ſupremum, infimum noſtrum non attingit.

Ho.

Ho. Cedo, ſed non planè intelligo, quomodo inter animam rationalem,& Deum, qui ſe habet immediatè ad illam, eamque ſine medio ipſe Deus format prima veritas, Angelum interpones.

Ang. Immediatio Dei ad animam,& Angeli inter vtrumque interpoſitio, nullam habent adinuicem implicantiam. Deum enim intimè præſentialiſſimum eſſe animæ,& cuiuſcunque alterius rei eſſentiæ, nihil impedit, quin ſecundum ſublimiorem excellentiæ gradum magis Angelus, quam homo appropinquare Deo dicatur. Vide igitur quàm excellentior homine Angelus inuenitur, ſi propinquior ad Conditorem acceſſus maiorem indicet excellentiam.

Deus ſe habet immediatè ad omnia, quamuis ſecundum nobilitatis gradu quædam magis, quædā minus illi approximent.

Ho. Si placet, opto clarius intelligere, quæ dixiſti de immediatione Dei indifferenter, & æquè intimè ad omnia ſe habentis, ac de proximiore Angeli ad ipſum Deum præ cunctis acceſſu.

Ang. Ideo Deus ſe habet immediatè ad omnia, quia omnia ſua virtute contingit, omnia continet,& in omnibus operatur. Itaque ſi immenſitatis attenditur ratio, non plus Deo ſuprema, quàm infima; non magis prima, quàm nouiſſima; non ampliùs Angelus, quàm vermiculus appropinquat, ſed æqualiter omnia penetrantur ab ipſo. Si verò dignitatis reſpicitur ordo, innumeri dantur gradus propius accedendi ad ſummam Conditoris excellentiam; itaut infimum comparatione ſupremi tot gradibus deorſum diſtet, vt vix appareat, in nihilum propemodum euaneſcens.

Ho. Sanè placent mihi iſta, & valde delectant; mirabile quidem dictu creaturas omnes; duplici ſpectato ordine, adeſſe pariter Deo,& abeſſe diſpariter. Sed non miror, Angelus eſt, qui loquitur. His ergo auditis ad aliarum magni ponderis rerum intelligentiam aperiri aditum cerno, & ad ſublimia ſpeculanda, noua neſcio qua luce perfuſus erigitur animus. Quapropter de his iterum te libenter audirem. Sed quia quædam mihi inter loquendum de ſtatu animæ ſeparatæ dubia inciderunt, ſi tibi videtur, ea prius ſoluenda proponam.

Ang. Viuax, nimiumque acuta tui nunquam quieſcentis ingenij perſpicacitas quaſi viciniora faſtidiens, dum ſemper geſtit remotiora proſpicere, & vlteriora rimari, nequit eorum, quæ tractantur; intra limites continere. O quantum deuotioni obeſt ſpeculatio. Quantò vegetior iſta, tantò areſcentior

Mira Angeli ſententia.

tior illa. Quanto hæc feruentior, tanto ea tepidior. Cui dulceſcit ſpeculatio, amareſcit oratio. Denique aſſiduitas ſpeculandi aſſiduitatem tollit orandi. Quæ ſunt dubia tibi inter loquendum ſuborta? Ecce iterum triſtis, quid tibi eſt? puereſcis ne? num denuò ad lachrymas reuertemur? Dubia tibi occurrentia conſtanter propone.

DEVOTA DIGRESSIO DE STATV animæ cum charitate hinc emigrantis.

CAPVT QVARTVM.

Ang. QVid moraris? num fortaſſe ſubortæ lachrymæ ſuborta ſepeliere dubia? Ea tandem propone, & pudeat virilem animum ad lachrymas tam facilè prouocari.

Ho. Si non potes compati, quia nec pati, ſaltem ne mireris me tam facilè ad lachrymas commoueri, nam tu quædam interdum puncta adeò cor meum pungentia tangis, vt ſic punctum (etiam ſi lapideum illud eſſet) neceſſe ſit emolliri, & tanquam ceram liqueſcere.

Primum igitur dubium, quod mihi occurrit, eſt. Num anima cum charitate decedens, totum præmium ſibi debitum, ſi nulla pro peccatis pœna luenda ſuperſit, ſtatim carne ſoluta, recipiat, an verò vſque ad extremum iudicij diem præmium aliquod differatur?

Num beatæ animæ ſeparatæ totum præmium ſibi debitum ſtatim recipiat?

Ang. Hic cauendum eſt à nefaria Nouatorum hæreſi aſſerentium tàm iuſtorum præmia, quàm impiorum ſupplicia vſque ad communem corporum reſurrectionem differri, iuſtorumque animas in amœnis quibuſdam locis interim commorari, donec ſua reſumant corpora, ſimulque cum illis expectata diu beatitudine potiantur. Sed hæc falſiſſima ſunt, ac propterea ab omnibus improbanda Cum enim anima ad opera bona, & ſimiliter mala concurrat principaliter, corpus verò inſtrumentaliter tantum (imò quoad ipſam eſſentiam meriti, & demeriti, quæ in electione conſiſtit, ſola concurrit anima, quia à ſola anima procedit electio) & ſit etiam ſine corpore cùm pœnæ, tum gloriæ capax, iniuſtum eſſet, ei non ſtatim reddi, quod promeruit, eamque non accipere, quod ſuum eſt, cum ſit ad recipiendum idonea. Nihilominus negari non debet, quædam præmia, ex his, quæ accidentalia vocant, vſque ad extremum

Nefaria Nouatorum hæreſis de iuſtorum præmijs, impiorumq; ſupplicijs.

Nota pulcherrimam Angeli doctrinam.

tremum iudicij diem reſeruari; Nam licet per mortem vita hominis temporalis terminetur ſecundum ſe, remanet tamen ex futuris ſecundum quid pendens, & præſertim quantum ad effectum ſuorum operum, & ſicut ex prædicatione Apoſtolorum, & aliorum vſque ad extremam orbis conſummationem fides proficit,& fructificat, ſic etiam vſque tunc illis accidentalis augetur gloria: Quapropter Apoſtoli, & alij Sancti, & præſertim ſpectabiles illi exercituum Domini Duces,& Religionum Principes, vt Baſilius, Benedictus,Auguſtinus,Dominicus, & Franciſcus, tota, quæ ſibi competit,eſſentiali gloria perfruentes, continua accidentalium gaudiorum incrementa ſuſcipiunt, quia continuò vſque ad finem mundi eorum doctrina,& exempla hominibus proficiunt ad ſalutem.

Ho. Nil prorſus ab Angelo Angelicus diſcrepat,quod ille docet,idem tu,ſed paulò explicatius docuiſti. D.Tho. 3.p. q.59 ar 5.

Ang. Itaque felix, & fortunata electi hominis anima hinc emigrans,confeſtim, vel Purgatorium adit, ſi qua purganda inquinamenta ſuperſint, vel ſi nihil, iucundiſſima,ſuo ducente Angelo,cælum petit, vltraque procedens, & ad triumphalem ſupernæ ciuitatis portam pluribus iam Angelis comitata perueniens,ibi tantiſper noua ſponſa ſubſiſtit coronanda, cuſtode interim Angelo victricia eius facta promente, inde fauſtum,felicemque diem ei cæteris acclamantibus, ad thronum ſponſi coronata procedit, à quo placidiſſimè accepta,quæ bona ibi parata inuenerit, apud mortales, nec oculus vidit, neç auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt.

Beatæ animæ quam felix in cælũ ingreſſus.

Ho. O beata regio Paradiſi, ad ſocietatem beatitudinis tuæ peruenire deſiderat anima mea. Sed poteſtnè feſtiuus iſte ad cælum animæ triumphantis ingreſſus aliqua, vel figura, vel ſimilitudine declarari?

Ang. Quemadmodum Regina Saba Salomonem viſens, ipſum in regia maieſtate proſpiciens, eius ſapientiam audiẽs, ædificiorum pulchritudinem, magnitudinem,& amplitudinem videns,holocauſta Summo Deo inceſſanter oblata,lautiſſimos menſæ cibos, ſeruorum veſtes, miniſtrantium ordinem, cæteraque præclara omni æſtimatione maiora attentiore mente conſiderans,ſic admirata obſtupuit, vt vltra ſpiritum non haberet,at vbi licuit reſpirare,in hæc verba prorupit. *Verus eſt ſermo,quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis,& ſuper ſapientia: Non credebam narrantibus mihi, donec ipſa*

Pulchra ſimi itudo. appoſita animæ ſummi Regis regia adeuntis
3.Reg c.10.

 veni,

veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit; maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui: Beati viri tui, & ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper.

Sic cum omnis anima ſancta cæleſtem Ieruſalem ingreſſa fuerit, multò plura, & magnificentiora perſpiciet, quàm ei fuerant in hac terra per ſacra eloquia, per Prophetas, atque Apoſtolos nunciata. Tunc beata, & illuſtris anima inter ſtupendas remuneratoris ſui conſtituta diuitias, ineffabilibus huius Reginæ verbis vti poterit. Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea; credebam quidem fidelis de tanta gloria narrantibus mihi, ſed quid eſt, quod audiebam abſens, ad id, quod præſens inſpicio? Maiora ſunt opera tua, quàm rumor, quem audiui, quia id quod parat Deus diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non comprehenditur, vota, & deſideria tranſgreditur; acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.

Ho. O gaudium Domini, quale ſis, & quantum, ſcio intimari mihi non poſſe, mortalibus ineffabile; O ter ille, & ſine fine beatus, qui ſibi dicentem audit, intra in gaudium Domini tui mecum perenniter regnaturus. Scio tantæ ſuauitatis magnitudinem vos, qui experti eſtis, nobis, qui nunquam tale quid guſtauimus, ſignificare non poſſe; Vos gaudete, vos exultate iuſti, quia videtis, quem amaſtis, habetis, quem deſideraſtis diu, tenetis, quem amittere non timetis. Angele, quantum gaudetis vos de bono noſtro?

Menſura gaudij, dilectio, Angeli tantùm gaudent de bono noſtro, quantum diligunt.

Ang. Quantum diligimus, par dilectio de pari bono par gaudium gignit. Quale adeſſe gaudium putas Angelis Dei, cum felix anima cælum victrix ingreditur, nobiſcum perpetuò regnatura, cum ſupra peccatore pœnitentiam agente, cuius adhuc dubia ſalus, & exitus eſt incertus, feſtiui tantopere gaudeamus?

Ho. Gaudium nè, an triſtitiam ſum tibi finaliter allaturus?

Ang. Gaudium de ſalute habemus, triſtitiam verò de perditione habere non poſſumus.

An Angelo ſui hominis cuſtoditi nota ſit prædeſtinatio, vel reprobatio.

Ho. Scitnè, vtrum ſaluandus, vel damnandus ſit ille, quem cuſtodit, cuſtos Angelus?

Ang. Aeternum illud diuinæ mentis propoſitum quorundam hominum miſerendi, & quinam ſint iſti, & vtrum Angelis innoteſcat, non eſt curioſè ab hominibus inquirendum. Si

ſalu-

ſalutem conſequi concupiſcis, Deum time, & mandata eius cuſtodi, hoc enim perficit totum hominem, conſummata namque mandatorum obſeruantia ad cæleſtem vitam latum parat ingreſſum, portam aperit, & coronam tribuit obſeruanti.

Ho. Hoc dixi, ſcire cupiens, an Angelus quem cuſtodit, damnari velit, ſi præſcitum cognoſcit.

Num Angelus quem cuſtodit, dānari velit, ſi præſcitum cognoſcit?

Ang: Eodem modo, eodemque ordine, quo Deus vult, nos pariter volumus.

Ho. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Ang. Nos hoc idem volumus, hoc idem cupimus, omnium ſalus, omnium noſtrum eſt deſiderium.

Ho. Si Deus vult omnes homines ſaluos fieri, voluntati eius quis reſiſtet? cur non omnes ſaluantur? cur pereuntium numerus exceſſu tam magno numerum ſuperat electorum?

1. Tim. c. 2. Deum velle omnes homines ſaluos fieri, quotmodis intelligatur.

Ang. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quia omnes, qui ſaluantur, Deo volente ſaluantur. Vel vult omnes homines ſaluos fieri, quia de quolibet hominum ſtatu aliqui ipſo volente ſaluantur; hi ſunt filij Dei vbique terrarum diſperſi, quos bonus Paſtor congregans, ad cæleſte dirigit, atque deducit ouile. Denique vult omnes homines ſaluos fieri, quia omnibus naturam dedit, per quam poſſent eum cognoſcere, & cognitum quærere, & quæſitum inuenire, & inuento inhærere, & per hoc ſalutem conſequi: nec vnquam illis deeſt per gratiam quæ ad poſſe ſufficiat, licèt exequi non attingat.

Ho. His vltimis verbis integrum gratiæ ſufficientis valorem pulchrè, & breuiter tetigiſti. Sed ego pulcherrimæ illius ſponſæ amore, gratiaque detentus, ad eam rurſus redire coartor. Iam ad ſponſum deductam, iam à dextris eius adſtare circumamictam varietate conſpeximus; nunc quæ illi à ſponſo traditæ ſint dotes libenter audirem.

Ang. Et noſti, & paulo ante dixiſti. Viſio, poſſeſſio, & fruitio ſummi boni, ſunt ampliſſimæ, & quæ nunquam marceſcent, beatæ animæ dotes, virtutibus theologicis reſpondentes. Viſio namque fidei correſpondet, poſſeſſio ſpei, fruitio charitati. Et quemadmodum manent hic fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas; ſic ibi manent viſio, poſſeſſio, fruitio, tria illa, maior autem illorum eſt fruitio. Siquidem viſio, & tentio diſponunt, ſed amor delitias ſuggerit. Sed à propoſita materia paulatim ad alia nimis defluxiſſe ſer-

Ampliſſimæ beatæ animę dotes ſūt viſio, poſſeſſio, fruitio.

1. Cor. c. 13.

monem aduertere iam deberes.

Ho. Parum hoc refert, ad alia, ſed religioſa, ſed proficua, ſed vtilia, ad lætiſſima inquam Saluatoris promiſſa cor meum dulciter rapientia defluxit ſermo, ô ſermo, vnicum noſtrarum moleſtiarum leuamen, quis mihi det, vt dum miſeram hanc patior ſeruitutem, te auribus meis inceſſanter inſonare percipiam? Vtinam aduertiſſem, vel aduertere voluiſſem, quoties de ſpiritualibus ſermocinari incipiens, ad mundana, ad otioſa, ad inutilia, ad aliorum carpendam vitam tranſitum feci. O nos miſeros, & omni lachrymarum fonte plangendos; hæ ſunt recentium monachorum collationes, hæc præſentium clauſtralium millies in die iterata colloquia.

Religioſorũ miſeria, quæ?

HOMO AD IMAGINEM DEI CONDITVS, cunctis ſuperior creaturis, cum Angelo de primatu pia æmulatione contendit.

CAPVT QVINTVM.

Ang. EO vnde diſceſsimus reuertamur. Quis, Angelus ne, an homo, ſecundum ſublimiorem excellentiæ gradum propiùs ad Conditorem accederet, tractabamus, meque in hac materia vltra proſequi cupiebas. Scias igitur in tota rerum congerie duo potiſsimum reperiri, quæ ſunt velut totius creati entis extrema; Alterum ſummum, & prope Deum, quod eſt natura Angelica, omnium naturarum prima, & perfectiſsima; Alterum infimum, & prope nihilum, quod eſt prima illa rudis, & informis materia, omnium naturarum imperfectiſsima. Horum autem, quæ his concluduntur extremis, ſolus homo mente, & ratione pollens expreſſam Dei gerit imaginem, & velut terreſtris quidam Deus, tantiſper ab Angelis minoratus, ſummum ius, & ſummum habet imperium in omnes animantes, ac propterea ſupremum tenet excellentiæ gradum, ſicque proximè ad Deum accedit, vt ſupra ſe nihil habeat, præter Angelum, Dei imagine perfectius inſignitum, ſub ſe vero cuncta creata. Conſidera quàm excellentiorem præ cunctis locum in toto hoc vniuerſo ſortitus ſit homo, cui vna tantum præfertur natura, & cunctæ aliæ ſuo ſubduntur imperio.

Homo ſupremũ tenet excellentiæ gradum præter Angelum.

Ho. Satis clarè percepi, & tria tandem concludis, & quod

homo

homo cunƈta viſibilia dignitate tranſcendat, & quòd Angelus ſupra hominem conſtitutus, ſuo magis appropinquet Conditori, & quod expreſſiùs quàm homo ipſius Conditoris gerat imaginem. Sed quæro, Angelus an ideo expreſſiùs Dei gerit imaginem, quia propinquior; an contra, ideo illi propinquior, quia expreſſiùs illius gerit imaginem?

Ang. Propinquior ad Deum acceſſus eſt ratio maioris expreſſionis imaginis, maior verò expreſſio maioris eſt propinquitatis indicium; ſicut ſpeculum non ideo tale, quia repræſentat, ſed ideo repræſentat, quia tale.

Ho. Itaque quemadmodum ſimulacrum expreſſiùs in ſpeculo repræſentatum, maiorem eiuſdem ſpeculi indicat puritatem, ita imago Dei expreſſius in vnò, quàm in alio repræſentata, ad ipſum Deum maiorem ſe repræſentantis propinquitatem arguit?

Ang. Sic eſt, & ita Angelus cum in ſe, tanquam in nitido, irradiatoque ſpeculo expreſſius Dei repræſentet imaginem, maiorem ad ipſum Deum propinquitatem ſe habere oſtendit.

Ho. Imò hoc ſuppoſito, cum plures in homine, quàm in Angelo, Dei gerendæ imaginis reperiantur modi, euidenter apparet, hominem ipſi Dei ſimiliorem eſſe, quàm Angelum, & per conſequens iuxta conceſſa hominem magis Deo approximare, quam Angelum.

Pluribus modis homo quã Angelus Dei gerit imaginem.

Ang. Dicas plures hos, ſingulareſque modos, quibus homo, & non Angelus, Dei gerit imaginem. Et ſic propria ab appropriatis diſtinguere, ac ſeparare quàm reƈtè noueris, apparebit.

Ho. In primis tres perſonæ ex genere noſtro, Adam videlicet, Eua, & Seth, quarum prima à nullo eſt generata, ſecunda ſolum à prima, tertia à prima, & ſecunda, Trinitatem in diuinis apprimè repræſentant, Patrem ſcilicet ingenitum, Filium ſolum à Patre genitum, Spiritum ſanƈtum ex Patre, & Filio ſpiratum. Num in Angelis huiuſmodi imaginis ratio reperitur?

Ang. In Angelis quoque licet aliquid huic ſimile reperire, tres enim Angelos Abrahæ apparuiſſe inuenies, Trinitatem perſonarum cum vnitate eſſentiæ protendentes, tres namque vidit, & vnum adorauit, cui Deus refulſit in Trinitate, vt non ſine Filio Patrem ſuſciperet, nec ſine Spiritu ſanƈto Filium fateretur.

Ho. Sed tres iſtæ humanæ perſonæ ſummam Trinitatem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ex vi originum,& naturaliter repræſentant; Illæ verò tres Angelorum perſonæ diſpenſatiuè,& electiuè tantum,quapropter ſicut Deus tres has perſonas ad ſe trinum, & vnum repræſentandum elegit,ſic tria alia quarumcunque eſſentiarum ſuppoſita ad hoc idem ſignificandum eligere potuiſſet.

Sunt & alij diuinæ repræſentandæ imaginis modi in homine, ſingulariter exiſtentes,nihil ad Angelum pertinentes.Quorum aliquos (ſi placet) proferam. Quemadmodum Deus eminenter,& cauſaliter omnia continet; ita homo participatiuè omnia in ſe habet, communem ſcilicet cum lapidibus exiſtentiam,cum ſtirpibus vitam,cum animalibus ſenſum,& motum, cum Deo,& Angelis mentem,& intelligentiam.

Item ſicut Deus vnus ſemper vbique totus eſt, omnia viuificans,mouens,& gubernans,ſic anima in ſuo corpore tota viget,viuificans illud, mouens, & gubernans, nec in maioribus membris ſuis maior, nec in minoribus minor, ſed in minimis tota,& in maximis tota.

Ang. Igitur ſicut ſe habet anima in corpore, ita Deus in mundo?

Ho. Eodem ferè modo,ſecluſa informatione.

Ang. Si comprehenderes quàm incomprehenſibilis ſit modus exiſtendi Dei in toto vniuerſo,hanc inter Deum & animam rationalem diſſimillimam ſimilitudinem minimè tanti faceres.

Modus exiſtendi Dei in toto vniuerſo.

Ho. Memini me legiſſe ineffabili quodam modo Deum eſſe in mundo,nimirum ſupra cuncta non elatum, ſubtus cuncta non ſubſtratum, intra cuncta non incluſum, extra cuncta non excluſum, & hic forſan eſt modus ille incomprehenſibilis exiſtendi Dei in mundo.

Ang. Ingenioſum quidem,& ſubtile dictum,explicans aliqualiter diuinæ Immenſitatis exceſſum, & ſuperexcellentiam, ſed tamen plus admirationis,quàm deuotionis ingerens.Contemplare igitur Deum eſſe immenſum quoddam Oceanum, & intra ipſum eſſe hunc mundum tanquam paruulam quandam ſpongiam vndequaque circundatam, & imbibitam, ſic enim verè reſpectu Dei mundus iſte ſe habet, quòd videlicet ſit paruula quædam ſpongia Deo plena, & ab eo in infinitum exceſſa.

Deus eſt etiã extra mundũ in toto illo ſpacio, quod vocant imaginarium.

Ho Maiorem mihi admirationem attulit, & deuotionem pariter hoc exemplum,quàm illud ſupra ſubtile dictum,ex hoc enim

enim ſequitur, Deum eſſe etiam extra mundum, in toto illo ſpacio, quod inane, vel imaginarium vocant.

Ang. Sequitur certè, & ſequela ita vera, vt ſtolidum ſit, ſic Deum concipere intra creaturas factas, quin illius virtus non latius pateat per infinita ſpacia; ſiquidem implet omnia Deus, & reſtat adhuc, quia illa non capiunt, vtpote illocabilem, interminabilem, incircumſcriptum, vbique totum, nullibi finitum.

Ho. His alludit celebre illud dictum. Deus eſt ſphæra, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam: & illud, Deus vt maximus nuſquam eſt, vt minimus vbique. At verò iſti in ſuis dictis apparent ſine fide loquuti; Diuina namque eſſentia infinita quidem, ſed impartibilis prorſus tales locutiones non admittit. Sed eſt ne aliqua differentia inter modum exiſtendi Dei in mundo, & extra?

Ang. Eſt quidem, non ex parte Dei vtrobique immutabiliter ſe habentis, ſed ex parte illius ſpatij nihil actualiter continentis. In mundo Deus omnia, quæ ſunt, ſua replet maieſtate, extra mundum inania illa ſpatia ſua replet immenſitate: hìc omnia, quæ ſunt, continet, ibi, quia nihil eſt, nihil continet; extra mundum eſt tantùm ſibi præſens; in mundo intimè quoque præſens cunctis pariter creaturis, in mundo eſt, vt in loco non contentus ab illo, ſed ipſum continens; extra mundum in ſeipſo, ſicut ante mundi originem fuit.

Diſcrimē inter modum exiſtendi Dei in mundo, & extra.

Ho. Quidnam eſt hoc inane ſpatium extra mundum?

Ang. Non eſt quid, nec quantum, nec quale, nec quicquam eorum, quæ ſunt, ſed eſt quædam paſſiua potentialitas nullam habens repugnantiam, quin infinita Dei potentia ibi alium, & alios quàm plures mundos fabricare non poſſit, ſi velit, hoc ordine, vt maximum corpus, quod eſt in mundo creato, ſit minimum aliorum corporum alterius mundi creabilis, & maximum corpus huius ſecundi mundi creati ſit minimum aliorum corporum tertij mundi creabilis, & ſic in infinitum.

Quid ſit inane hoc ſpacium extra mundum.

Ho. O immenſam Dei potentiam, ne vltra quæſo progrediaris, nam intra hanc infinitatem meipſum perdidi.

Ang. Ad frontem, & oculos ſuperpoſitæ manus indicant ita eſſe, ſed vtinam ſic perditus ſemper fuiſſes, quoties te ipſum perdidiſti.

IMA-

IMAGO CONDITORIS LICET IN vtroque, excellentius tamen, & auguſtius fulget in Angelo, quàm in homine.

CAPVT SEXTVM.

Ho. DEiectum cerno, quod Achillem putabam; vt enim video, illa à me ſupra allata imaginis ratio inter Deum, & hominem, propter animam corpori præſidentem, Deum imitantem, qui toti præſidet vniuerſo, nulla eſt & eam nihilominus plurimum æſtimant eximij Eccleſiæ Doctores.

Ang. Eſto propter præſidentiam animæ ad corpus, & eiuſdem in ipſo corpore exiſtentiam, homo aliqualiter gerat imaginem Conditoris in toto vniuerſo exiſtentis, & operantis vbique, ſitque Conditoris imago in homine ſic elucens ipſius hominis excellentia, nō propterea homo Angelum ſuperat, ſed cuncta alia eminenter excellit, in quibus aut vmbra, aut veſtigium Dei ſolummodo reperitur. Similiter, licet in homine imaginem Dei ſic elucere, ſit perfectio, non tamen in quibus non ſic elucet, eſt imperfectio. Quemadmodum actiua in diuinis generatio eſt quidem in genitore perfectio, eam vero genito non adeſſe, nulla eſt imperfectio.

Non tot modis Angelum gerere Dei imaginem, quot homo gerit, non arguit in eo imperfectionē.

Ho. Quod Philoſophus diceret. Si aliquid non inſit alicui, cui nec poteſt, nec debet ineſſe, nulla eſt imperfectio, eſſet autem, ſi non inſit, cum deberet ineſſe. Sed quorſum hæc tam alto repetita principio?

Ang. Vt intelligas (præterquam quod hæc imaginis ratio & claudicat, eſtque minus principalis) hominem talem habere cum Deo ſimilitudinem, nihil Angeli intereſſe, nec huiuſmodi excellentiam eſſe cum noſtra comparabilem.

Ho. Si permittis, alias adhuc afferam diuinæ imaginis rationes in homine ſingulariter elucentes.

Ang. Quæſo ne plures, nam illæ à te aſſignatæ, & huius generis alia quælibet aſſignabilis diuinæ imaginis ratio licet præſupponat, non tamen eſt illud, in quo conſiſtit potiſſima imaginis ratio.

Ho. Deueniamus tandem ad illud, in quo tam Angelus, quàm homo ſunt Conditoris imagine inſigniti.

Ang. Quod magiſtri non ignorant, te quoque non latet, quip-

quippe qui alios hoc idem optimè docuiſti,

Ho. Nos in eo, quod in homine melius eſt, Dei, ac Trinitatis imaginem conſiſtere affirmamus, hoc eſt in anima relata, vel ad præſidentiam, quam habet in corpore, vel ad ſuas potentias, vel ad ſuos actus, vel etiam ad obiecta. Anima relata ad præſidentiam, quam habet in corpore, illud (vti diximus) viuificans, & gubernans, Deum exiſtentem vbique totum, viuificantem, mouentem, gubernantemque omnia imitatur, relata ad ſuas potentias, Trinitatem perſonarum cum vnitate eſſentiæ repræſentat, eſt enim vna in eſſentia, & trina quodammodo in potentijs, memoria ſcilicet, intellectu, & voluntate. Relata ad ſuos actus, nempè notitiam, verbum, & amorem, diſtinctionem indicat perſonarum, ſicut enim ex notitia gignitur verbum, & ex vtroque procedit amor, ſic diuinæ perſonæ ſecundum proceſſionem verbi à dicente, & amoris connectentis vtrunque diſtinguuntur. Tandem anima relata ad obiectum vel ſuperius, vt Deum, vel æquale, vt ſeipſam, aut Angelum, Dei imaginem in ſe habere oſtendit; & tunc potiſſimum, cum ad ſuum ſuperius nempe Deum conuerſa, tam memoriam, quam intellectum, & voluntatem ad ipſum Deum eleuat contemplando; vel (licet minus perfectè) ad ſeipſam conuerſa, meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe. In quo conſiſtat potiſſima imaginis ratio.

Ang. Conclude igitur, Dei imaginem in gradu naturæ intelligentis conſiſtere, qui gradus, quia perfectior in Angelo, quàm in homine reperitur, ideo perfectiùs, & excellentiùs Angelus præ homine Dei gerit imaginem.

Ho. Non video, quomodo huiuſmodi gradum perfectiori modo in Angelo, quàm in homine, & non potius in vtroque æqualiter contingat reperiri; cum in vtroque eaſdem ſemper habeat proprietates, etenim incorporeum eſſe, & immortalem exiſtere, voluntate, intellectu, & memoria præditum eſſe, & pollere libero arbitrio, capacem eſſe ſapientiæ, virtutis, diuinæ gratiæ, & fœlicitatis æternæ, ac tandem cunctis animalibus non ſolum dignitate præcellere, ſed etiam poteſtate dominari, Angelo, & animæ rationali ex æquo conueniunt, quinimo vltima illa proprietas, ex tua met ſententia, homini, non Angelo competit.

Ang. In latitudine naturæ intelligentis dantur gradus, quorum infimus eſt hominis genere diſtinctus à gradibus Angelorum. Deinde ſi tot ſunt Angelorum ſpecies, quot ſunt ipſorum Dei imago perfectiùs in Angelo, quã in homine reperitur.

ſorum chori, nouem naturæ intelligentis ſpecifici dantur gradus, quorum primus eſt, deorſum numerando, eſt imperfectior ſecundo, ſecundus tertio, tertius quarto, &c. nonus autem perfectiſſimus omnium.

Innumeris pene eſſentiæ gradibus ſupremus Angelus diſtat ab infimo, ſi ſinguli ſpecie differunt.

Si autem ſpecie adinuicem ſunt diſcreti (quod vt ſupra dixi, tibi indicare nullatenus volo) tot ſunt gradus, quot Angelorum indiuidua. Vnde (mirabile dictu) innumeris penè eſſentiæ gradibus primus diſtat ab vltimo, & in tot graduum eſſentialium cumulo, & exceſſu vltimus ſupremus primum infimum ſuperat in oſtenſione imaginis.

Ho. O rem prorſus mirabilem, ſi tanta eſt in infimo Angelorum perfectio, & tantum in eo reſplendet Conditoris imago, quid erit in primo innumeris perfectionis gradibus infimum ſuperante? & quàm expreſsiſsimè, & elegantiſsimè in eo elucet Conditoris imago?

Equidem non eſt ambigendum, Angele Dei (etſi ego ambigere, & contradicere etiam, pia quadam æmulatione videbar) gradum naturæ intelligentis, in quo propriiſsimè imaginis ratio conſiſtit, perfectiorem, & excellentiorem in Angelo reperiri, & per conſequens excellentiùs, & perfectiùs (de naturali perfectione via originis loquor) Angelum, quàm hominem Dei imaginem gerere. Sed adhuc vnum, & quidem ingens mihi ſupereſt dubium. An homo plus diſtet ab infimo Angelorum, quàm infimus Angelus à ſupremo.

Plus homo ab infimo Angelo ſuperatur, quã Angelus infimus à ſupremo.

Ang. Ex his quæ actenus dicta ſunt, dubium ſolutum manet. Licet ſupremus Angelorum tot excellentioribus eſſentiæ gradibus ſuperet infimum, quot ſunt Angeli intermedij, plus tamen homo ab infimo Angelo ſuperatur, quàm ipſe Angelus infimus à ſupremo; Nam gradus Angelorum in quouis exceſſu ſe habeant, cum ſint ſpecifici, ſunt inter ſe comparabiles; ſed gradus naturæ intelligentis in homine, & in Angelo, cum genere ſint diuerſi, non habent (vt aliàs diximus) ad inuicem comparari, niſi remotè admodum, & impropriè.

QVAM LAETVS, ET FESTIVVS Angelorum ortus.

CAPVT SEPTIMVM.

Ho. Quæ ſo pauliſper hic immoremur. Ego quippe dum veſtram contemplor originem, non tam omnipotentiam

tiam Dei, quæ tantum potuit, admiror, quàm incomprehenſibilem eius bonitatem, quæ tantũ voluit Angelis ſe diffundere.

Ang. Nec minus eius ſapientia in ſuis adinuentionibus conſpicitur admirabilis.

Ho. Quæ fuerunt iſtæ in Angelis condendis diuinæ ſapientiæ inuentiones?

Ang. Vt ſinguli ſingulari perfectionis gradu gradatim aſcendendo eandem referrent imaginem: Itaut ſi quis in infimo Angelorum ſummi Conditoris ſpeculetur imaginem, tam clarè, & perfectè ibi expreſſam videat, vt perſuaſum habeat, clariùs, & perfectiùs exprimi nunquam poſſit: At ſi rurſus gradatim per ſingulos eandem contempletur imaginem, in nouo ſemper claritatis, & pulchritudinis augmento ipſam intuebitur, donec ad ſupremum vſque pertingat.

Ho. O illi certè beati, quibus datum eſt, reuelata facie gloriam Domini ſpeculari, à claritate in claritatem tranſire; & in eandem imaginem transformari. Nota de ortu Angelorum.

Ang. Contemplare, cariſſime, quid ſtuporis, & gaudij ſimul fuit, improuiſo videre intuitu tot ſpecula munda ad Conditoris imperium repente ex nihilo prodire in lucem, in quorum ſinguli mox ſol ille diuinus reflexus apparuit.

Ho. Ex eo, quod ſol ille diuinus in Angelis reflexus apparuit, verè Angelus dici poteſt manifeſtatio occulti luminis, ſpeculum clarum, ſplendidiſſimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, ſuſcipiens, vt conueniens eſt creaturæ, aliarum omnium nobiliſſimæ, totam ſpecioſitatem boniformitatis, ac deiformitatis, & in ſe reſplendere faciens bonitatem ſilentij, quod eſt in abditis; hoc eſt bonitatem ineffabilem, quæ in ſua latebat æternitate, ſui quidem diffuſiua, ſed ad extra non dum diffuſa.

Sed ſpeculanè vos dicam incircumſcriptæ lucis radijs repercuſſa, an potius radios ipſos ex corruſcantiſſimo diuinitatis ſinu, non ex illius ſubſtantia genitos, ſed ex nihilo conditos prodeuntes?

Ang. Vtrunque ſpecula namque ſumus diuinæ lucis in intuitu vndequaque ſplendentia, & radij, hoc eſt, ſecundi ſplendores primi ſplendoris, à quo prodiuimus, adminiſtri. Angeli ſpecula ſunt, & ſecundi ſplēdores.

Ho. Hinc duplici vos luce fulgentes, ac gemina pulchritudine decoratos intelligo.

Ang. Dic potius, triplici nos luce fulgere, ternaque Beati Angeli triplici luce fulgent.

 pul-

pulchritudine decorari, naturæ, ſcilicet, gratiæ, & gloriæ.

Ho. Non dixi, quia vos ter fulgidi, terque formoſi non ſimul, ſed gradatim fuiſtis, naturalis namque ſplendor gratuitum anteceſſit, gratuitus beatificum.

Ang. Non ita, ſed naturalis ſplendor, & gratuitus ſemper ſimul fuere; noſtra namque natura ex nihilo, tanquam ex paterna domo egrediens, velut ſponſa ornata monilibus ſuis, gratia decorata proceſſit, mox ad immarceſcibilem gloriam proceſſura.

Ho. Intelligo. Natura Angelica in ſuis quibuſque ſuppoſitis, in his etiam, qui poſtmodum ceciderunt, non prius fuit, quin gratia plena fuerit. Qui enim naturam condidit, gratiam ſimul indidit.

Gaudium Angelorum in ipſorum ortu.

Ang. O quale illud tunc gaudium beatis illis mentibus fuit, cum primum ſe eſſe ſenſerunt. Vbi, admiratæ inquiunt per totam retro æternitatem fuimus? Ex qua regione venimus? quis nos huc adduxit? ò felix noſtra tam feſtiua, & feſtiua de non eſſe ad eſſe progreſſio. O fortunata noſtri eſſe nunquam ſeneſcenda primordia.

Ho. Quis concipere, & enarrare ſufficiet, quanto deuotionis affectu in lætiſſimæ exultationis vocem ſyrenæ illæ dulciſonæ proruperunt, Deo laudes decantantes, ſuique Conditoris potentiam, bonitatem, ac ſapientiam celebrantes?

Ang. Ego, qui his interfui, & vnus ex illis fui, vnus autem non quicunque ex illis, ſed ex his vnus, qui ſtatim atque conditi, Conditori ſuo fideliter adhæſerunt. Et quod excellentius eſt, eodem ſemper charitatis ardore, eadem animi promptitudine, admiratione, lætitia, quibus Deo tunc laudes decantauimus, decantamus nunc, & per totam deinceps æternitatem, ac ſi ſemper Deum laudare inciperemus, & propterea Angeli canticum nouum ſemper decantare dicuntur, quia ſemper nouo amoris affectu canticum, quod ſemel præcinimus, indeſinenter repetimus. Quam plures quoque ex genere veſtro angelicam in terris vitam ducentes, in hoc opere Angelos imitantur, quibus diuinæ die noctuque repetitæ laudes ſucceſſu temporis non diſſipiunt, ſed magis ſapiunt, magiſque dulceſcunt, atque noua ſemper velut dulcedine deguſtata, exclamare coguntur. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.

Angeli canticum nouũ ſemper Deo decantare dicuntur, quia ſemper eodẽ charitatis ardore illum laudant.

Ho. Ad vocem loquelæ tuæ tam grandè, & feruens in corde meo

de meo veſtræ contemplandæ originis exarſit deſiderium, vt nunc & naſcentis mundi primordijs præſens, & veſtræ videar intereſſe creationi, voſque cùm primùm in lucem prodijſtis, inſpicere; Ita denique affectus ſum, vt iubilantium filiorum Dei, ac ſyderum factorem ſuum laudibus extollentium meis auribus voce inſonare multiplices videantur.

Sed Angelorum geneſis, & corporei mundi huius creatio fuerenè ſimul, an ſæcula inter vtramque plurima tranſierunt? Græca namque Eccleſia ferè omnis, & priſca quoque Latina multis ante orbem ſæculis, mortalibus incompertis, vel ſaltem parum ante mundum viſibilem, mundum intelligibilem, hoc eſt Angelos Deum condidiſſe ſenſerunt.

Ang. Non omnia (illæſa fide) priſcis patribus patuerunt, propterea rationibus ſatis congruentibus moti, poſſibile fieri, factum eſſe putarunt. Sed verè inter æternitatem, & tempus nulla fuere ſæcula interpoſita, nullius interceſſit creatio. Noſtra, & Cæli Empyrei ſimul fuere primordia, nec noſtra anterior, nec illius poſterior fuit origo, ſed qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul, non ſimultate temporis, vt omnia in puncto temporis creata intelligantur; ſed ſimultate collectionis, & continuationis, quia inter noſtram, & aliarum rerum effectionem nulla (vti dixi) fuere ſæcula intermedia.

Inter æternitatẽ, & tẽpus nullius interceſſit creatio; ſed tota rerũ ſeries per ſex dierũ interuallũ fuit cõdita. Eccleſ. c. 18.

Ho. Creatoris ſapientiam æquo moderamine cuncta ordinantis in his præſertim agnoſco, & ego ſic mecum ratiocinari circa hoc dubium ſoleo. Si Angelorum creatio mundialem fabricã per ſæcula finita, ſed quãplurima, præceſſiſſet, vel toto illo præcedentiũ ſæculorum ſpatio perſtiterunt in gratia vel ſtatim poſt creationem eorũ aliqui cecederũt. Si primũ detur, oẽs certè in gratia cõfirmati eſſent, quia poſt primã ſummi boni electionẽ, quæ nõ poterat in longũ protrahi, fuiſſent deinceps inflexibiles ad peccatũ: Si ſecundũ admittatur, huiuſmodi Angeli peccatores, vbi nã tot ſeculis ante mundũ conditũ permanſerunt? an ſimul cũ bonis? ſed quæ participatio iuſtitiæ cũ iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? an fuerunt ab eorum ſocietate, & conſortio ſeparati? ſed quonam? cum ante mundum, nec ſpatiorum diſtantia eſſet, nec locus?

Ang. Nimis phyſica eſt hæc tua ratiocinatio, imò quia nullus erat locus, nullibi ſimul fuiſſent. Non ſpatiorum diſtantia, nec locorum diuiſio, ſed ſpecifica eſſentiarum diſtinctio, ac diſcretio eos abinuicẽ ſeparaſſent, & contrarij inter ſe

Redarguit Angelus hominis argumentum.

volun-

voluntatū diſſenſus, inter bonos, & malos interminabilē longitudinem poſuiſſet. Mores diſpares diſparia ſequuntur ſtudia, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias. Non materialis ſpatij diſtantia, ſed morum diuerſitas quàm maximè fieri poteſt, malos diſiunxiſſet à bonis. Itaque conuenientia quidem fuit, quòd Deus Angelos cum tempore procreauerit, ſed nullum fuiſſet inconueniens, ſi eos ante tempora ſæcularia condidiſſet. Quid enim inconuenit, ſi Angelus, qui mundum dignitate præcellit antiquitate præcederet?

Ho. Cedo, nec me pudet hominem ab Angelo redargutum. Vnum tamen aduerti, & gaudeo, te inter ſingulos Angelos ſpecificam poſuiſſe diſtinctionem, quod ex induſtria arbitror te loquutum, vt ſic oſtenderes Angelicum ab Angelo minimè diſſentire. Si ergò rerum vniuerſitate antiquiores non eſtis, ſed ſimul cum cæteris orti, in toto hoc vniuerſo vnde vos oriundi? quinam locus (& certè felix quicunque fuit) veſtra tam felicia excepit exordia, & horum primò exorientium ſyderum luce refulſit? Num cælum ſydereum tanquam medium inter extrema veſtræ natiuitatis primordia nouit? vt inde ſurſum boni aſcenderent ſupra empyrea conſeſſuri, & mali in præceps deorſum ruerent digniſſimas ſuorum ſcelerum pœnas in gehennæ incendijs ſine fine daturi.

Cælum Empyreum patrium Angelorum. *Ang.* Cælum empyreum, non ſydereum, noſtra fuit geneſi decoratum, hoc patrium, hoc noſtrum natale ſolum, hæc eſt illa beata beatarum mentium terra, eos, qui toti corporeæ præſident creaturæ, celſiſsimam hanc habere decuit manſionem, decuit, inquam, quia decentia, non neceſsitas fuit, ſubſtantias incorporeas in loco corporeo procreari, vtpotè quæ nullam prorſus à loco dependentiam habent.

Ho. Vnum hic aduerto, & quidem magnum æſtimo diuini amoris erga hominem argumentum, magiſquam erga Angelum, Deum ſcilicet plura, & maiora pro homine, quam pro Angelo effeciſſe, pro homine enim extenſum eſt cælum, expanſum eſt mare, formata eſt terra, cuius cauſa ſol oritur, & incumbit, luna creſcit, & decreſcit, aſtra micantia ſurgunt; pro eo denique condita ſunt vniuerſa, quæ immenſo empyrei ambitu continentur.

Ang. Non pro homine ſimpliciter, ſed pro Deo homine ſummi Regis filio condita ſunt vniuerſa. Quod ſi etiam pro homine dicas, extremā eius detegis indigentiam, ideo namq;

plu-

plura pro homine, quam pro Angelo effecta ſunt, quia pluribus indiget homo, quàm Angelus. Imò quia homo omnibus indiget, omnia pro eo creata ſunt, Angelus quia nihil indiget, nihil pro eo creatum eſt. Corporeum enim corporeis indigere, verum eſt arbitrari.

ANGELORVM PRODVCTIO FIGVRATE ſub Cæli, ac lucis creatione comprehenſa.

CAPVT OCTAVVM.

Ho. O Gaudium, ò me ſub tantis, ac talibus auſpicijs fortunatum, ſi adhuc licet. Cur ſacer ille rerum admirabilium ſcriptor, mundi opificium tam diſtinctè, & accuratè deſcribens, veſtram ſolummodò originem relatu digniſſimam, gaudium ingens legentibus allaturam, lumenque maius in opere creationis velut in ſpeculo ſummum Conditorem contemplantibus additurum, tacitus præteriuit? *Cur Angelicæ originis mentio nulla in ſacris Literis habeatur expreſſa?*

Ang. In primis, noſtræ originis contemplatio, inuiſibilem Deum, eiuſque attributa in opere creationis ſublimioribus intellectibus ſpeculantibus, non erat ſimpliciter neceſſaria, ſiquidem per excellens communis creationis opus tria Dei inuiſibilia demonſtrantur, potentia, ſapientia, bonitas, ab his tribus procedunt omnia, in his tribus conſiſtunt omnia, per hæc tria reguntur omnia.

Ho. An fortè tacuit ille veſtram, & aliorum deſcripſit originem, quia ſic rudium Hebræorum groſſities exigebat, & ingeniorum congruebat inopiæ? *Rationes ab homine ad hoc inductæ cōfutātur ab Angelo.*

Ang. Neque hoc dici poteſt, nam ſi Moyſes propter groſſiora Hebræorum ingenia Angelicam reticuiſſet naturam, non ſtatim Cherubim ante Paradiſum poſitos ad viam ligni vitæ cuſtodiendam, & Angelos ad Abraham, & Loth miſſos memoraſſet, quos meritò poſſent Hebræi quærere qui eſſent, vtpote quorum mentio antea nulla erat, vt iam tunc neceſſaria notitia, vt intelligerent, quinam illi cuſtodes Paradiſi, qui illi miſſi, qualiter, & à quo, & quomodo mittebantur. Quonam conſilio Moyſes quod prius tacendo cauit, mox neceſſariò ſciendum proponit?

Ho. Et hoc ego ſemel ſcire deſidero, cur ille veſtram originem tacuit, cum alijs, imò præ alijs propalandam? Siquidem *Boni, ſolertiſq; ſcriptoris munus.*

boni

boni, exactique ſcriptoris eſt narrandorum prius iacere fundamenta, communi propoſita doctrina, rerumque notitia, qua lectores manuducantur ad aliorum intelligentiam, non igitur Moyſes hiſtoricorum maximus, & primus, qui ſæpius Angelorum intexere decreuerat facta, eorum notitiam omittere debuiſſet. Sed quia nulla aut incuriæ, aut ignorantiæ nota ſapientiſſimus hic inuri nullatenus debet, fortè tacuit, ne Hebræi Angelicam diuinæ æquarent naturæ, eiſque diuinum exhiberent honorem.

Ang. Imò propterea Angelorum originem exprimere debuiſſet, ne æternos, Deoque æquales eos reputarent Hebræi. Non igitur credas Angelos à Moyſe fuiſſe omiſſos, ſed eos ſub cæli, ac lucis creatione comprehenſos.

Sub cæli, ac lucis creatione Angelorũ productio cõprehenſa. Quare figurate tantummodo Angelorum origo fuerit inſinuata.

Ho. Figuratè igitur, non realiter, non apertè, non deniquè manifeſtè veſtra deſcripta fuit origo.

Ang. At non irrationabiliter, ſed ſumma ratione peractũ, vt eſſet ſilentium loquax, & humani exercerentur intellectus, vt plura de Angelis inquirerent, & intelligerent, quàm ſi planè, & clarè eorum propalata fuiſſent exordia; ſic ſacri Euangelij ſcriptores, Deo calamum dirigente, pauca admodum ſcripſere de Virgine, vt multa de ea inquirerent, ac intelligerent Chriſtiani, ſe in eius laudibus exercentes.

Ho. Sub cæli, ac lucis creatione figuratè veſtram quoque effectionem deſignatam fuiſſe dixiſti; his ſatis conſonat quod de terra recens condita dictum eſt. Terra autem erat inanis & vacua, ex illa namque aduerſatiua, oſtenditur cælum non fuiſſe vacuum, ſed ea, quæ in ipſo creanda erant, hoc eſt Angelos iam fuiſſe cum eo ſimul creata. Sed illi ſe ab his ambagibus extricarunt, qui Angelos ſimul cum empyreo conditos quidem fuiſſe dixere, ſed ipſum cælum intellectualibus his ſyderibus exornatum ſæculis immemorabilibus ſoli Deo cognitis cætera præceſsiſſe. Attamen, cum ante communem rerum effectionem nil præfuiſſe doceas, nec diſcipulum doceat contra Magiſtrum non Angelicum, ſed Angelum, arbitrari ego ſic edoctus, ſic alios quoque docebo.

Summa eorũ quæ de Angelis Theologi tradũt.

Ang. Quid tandem de Angelis compendio, ſummatimque docebis?

Ho. Eos cælo, tempori, elementiſque coæuos, ſub cæli, ac lucis creatione comprehenſos, ciues illic, vbi conditos, conſtitutos, potentes, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſo-

perſonas, diſpoſitos in dignitate, ab initio ſtantes in ordine ſuo, perfectos in genere ſuo, immortalitate perpetuos, impaſſibiles, non ex ſubſtantia Dei genitos, ſed ex nihilo factos, mente puros, affectu benignos, religione pios, caſtimonia integros, vnanimitate indiuiduos, pace ſecuros, diuinis laudibus, & obſequijs deditos.

Ang. De medio huius profeſsionis ab alio iam emiſſæ, vnam orationis particulam omiſiſti, videlicet, corpore æthereos.

Ho. Et quid eſt, quod Angelus non aduertat? ex induſtria eam omiſi, ne vos corporeos eſſe dicerem, ſicut quamplures ex priſcis patribus iam dixere; ego enim cum tota Theologorum ſchola arbitror vos incorporeos eſſe, ac materiæ impermiſtos omnino.

Ang. Simplices, incorporei, materiæ impermiſti, nudæq; formæ ſumus omnino; nihilominus quia cum omni celſitudine, & excellentia noſtra deficimus infinitè ab infinita perfectione, & eminentia Dei, Angelica puritas cum diuina puritate collata, tam impurior, longèque imperfectior reperitur, vt in comparatione ſimpliciſsimæ illius ſubſtantiæ craſsitiem, & materiem quodammodo nos habere dicamur. Sic Patres hoc aſſerentes cum negantibus componuntur.

Quomodo intelligi poteſt, Angelos eſſe corporeos.

HOMINI INTERROGANTI AB ANGELO ad Angelos pertinentia ſoluuntur dubia, & panduntur arcana.

CAPVT NONVM.

Ho. SOlutiones præcedentium à tali tantoque magiſtro traditas, indubitanter amplector, ſed non hic tamen quieſco, alia gradatim dubia à te dilucida breuitate ſoluenda, proponere me oportet. Et primum, vt à via ad patriam pergam, quanto temporis interuallo fuiſtis viatores vos?

Quanto temporis interuallo Angeli viatores fuerint, dubium primum.

Ang. Breui quodam momento, ex quo felix noſtra, & infelix illorum pependit æternitas, illorum dico, qui tanta accepta à Deo munera ſibi turpiter arrogantes, ab eo, qui ſe condiderat, receſſerunt, haud vltra deinceps reuerſuri.

ſolutio dubij

Ho. Quid interim egiſtis, dum fuiſtis in via?

Dubium ſecundum, quid egerint viatores.

Ang. Seipſum, & ſuam quiſque naturam, ac natura-

Solutio. lem reſpexit pulchritudinem, qua quidem nimium delectati ſuperbire, Deo ſubeſſe nolentes, alij ipſum eſſe, & bona cuncta ad eum, à quo acceperant, ſummam animi gratitudinem præferentes, deuotiſſimè retulerunt, eique ſubeſſe, obſequi, & ſeruire fideliſſimè promiſerunt.

Dubium tertium. *Ho.* Electi ſpiritus an ideo boni, quia bona egerunt, vel ideo bona egerunt, quia boni, ſimiliter reprobi, an ideo mala egerunt, quia mali, an ideo mali, quia mala egerunt?

Solutio. *Ang.* Cum ſpiritus omnes creati ſint duplici bonitate boni, naturali, ſcilicet, & gratuita, electi ſpiritus non ideo boni, quia bona egerunt, ſed ideo bona egerunt, quia boni: reprobi vero non ideo mala egerunt, quia mali, ſed ideo mali, quia mala egerunt.

Dubiũ quartum. *Ho.* Num Angelorum naturalia ad gratuita, ac ſupernaturalia bona diſpoſitiones fuere præambulæ?

Solutio. *Ang.* Quos Deus ſublimioris, & altioris naturæ, & ſapientia amplius perſpicaces condidit, eoſdem ad maiora gratiarum dona, ampliorem que bonitatem ordinauit, non id neceſſariò eorum exigente natura, ſed naturæ auctor gratis, ac liberaliter largiente.

Dubiũ quintum. *Ho.* Ordinum diſtinctio à natura prouenit, an à gratia?

Solutio. *Ang.* Paria, & diſparia Angelorum bona tum naturæ, tum gratiæ, vnum, & plures pariunt ordines; Paria vnum, diſparia plures: Paria, & diſparia naturæ dona vnum, & plures diſpoſitiuè, & radicaliter ponunt ordines; paria, & diſparia gratiarum munera vnum, & plures completiuè, formaliterque conſtituunt. Itaque quod à natura incœpit à gratia recepit complementum.

Dubium ſextum. *Ho.* Naturalis Angelorum cognitio æqualisnè reperitur in omnibus?

Solutio. *Ang.* Quemadmodum in ſingulis ſpiritibus ſurſum aſcendendo inæquales, ſed maioris ſemper, ac maioris perfectionis gradus inueniuntur, ita inæqualis quoque cognitio; quantò enim quiſque ſublimior, tantò perfectior, ac perfectiori modo intelligit, & paucioribus, licet vniuerſalioribus ad intelligendum vtitur ſpeciebus.

In hoc tamen cognitionis æqualitas in omnibus reperitur, quod omnes abſque diſcurſu, ratiocinatione, compoſitione, ſed vnico intuitu, vnaque ſimplici apprehenſione, compoſita ſimpliciter, mobilia immobiliter, & materialia immaterialiter

ter intelligimus, concluſiones in principijs, proprietates in eſſentijs videmus.

Ho. Anima ſeparata, quæ (vti diximus) ad modum Angelorum intelligit, num eodem claritatis, & perfectionis gradu animas cognoſcat, & Angelos? Dubium ſeptimum.

Ang. Ab anima ſeparata clarius, & perfectius animæ, quàm Angeli cognoſcuntur, licèt per ſpecies ex diuini luminis influentia ſibi inditas vtrorumque ſpirituum cognoſcat eſſentias, quia maior eſt aſſimilatio inter plura vnius naturæ ſingularia, quàm inter diuerſorum generum indiuidua, maior autem aſſimilatio illius, quod cognoſcitur cum eo, quod cognoſcit, maiorem parit in cognoſcente notitiam. Solutio.

Ho. Futura, & cordium cogitationes attingitnè veſtra cognitio? Dubiũ octauum.

Ang. Futura, quæ ex cauſis neceſſarijs ex neceſsitate proueniunt, à nobis infallibiliter præſciuntur; quæ autem non ex neceſsitate, ſed vt in plurimum eueniũt, coniecturaliter intelligimus; at verò caſualia, & fortuita penitus ignoramus. Cogitationes cordium non in fontis corde percipimus, ſed in affectionibus tantùm apparentibus extra, & præſignantibus, quæ intra ſunt. Solutio.

Idem proportionaliter dicas de cognitione beata, quod ſcilicet inæqualis ſit in perfectione, æqualis in modo: Oẽs enim cognoſcimus res in Verbo, & ſecundum eſſe ideale, quod habent in ſe per rationes ipſarummet rerum in Verbo, velut in ſpeculo fulgentiſsimè emicantes.

Ho. Si tam in Verbo, quàm extra Verbum res in proprio genere, & natura cognoſcitis, quæ erit harum cognitionum differentia? Dubium decimum.

Ang. Quod illa, qua res in Verbo cognoſcimus, clarior eſt, nec naturæ debita, quam veſtri Theologi vocant matutinam, ea verò, qua res cognoſcimus extra Verbum, obſcurior, noſtræque naturæ naturaliter debita, quam veſpertinam vocant. Cognitionem per ſpeciem extra Verbum habuimus, dum viatores extitimus, cognitionem in Verbo, ſtatim adepti gloriam, viſo enim Verbo, omnia in eo vidimus, non tamen beatam adepti, amiſimus naturalem. Solutio;

Ho. Igitur naturali cognitione, qua vtebamini viatores, vtimini iam Beati!

Ang. Vtimur, nec naturalis per ſpecies extra Verbum co-

gnitio ,& beata, quam habemus in verbo,mutuò ſe impediũt.

Dubium vndecimum.

Ho. Num naturalis aliqua veritatis cognitio ſit in malis Angelis penitus abolita,ân ſaltem aliqualiter diminuta ?

Solutio.

Ang. Quidquid ad ipſorum ſpectat naturam , nec auferri potuit, nec minui per peccatum , ſed in eis integrum perſeuerat: Itaque naturale in eis lumen æquè clarum, vt ab initio , fulget,intelligibiles congenitæ naturæ ſpecies,& viuaciter vigent,& res, quarum ſunt ſimilitudines, limpidè repræſentant , eaſque intellectus propria , & natiua irradiatus luce cognoſcit : ſic dæmon veritatis hoſtis, veritatis notitia pollet; Mendacem namque, mendacijque parentem veritatem diligere , impoſsibile eſt; ille, quia in veritate conditus, in veritate ſtare contempſit,inſignis mendax, & mendacij pater effectus eſt , & cum mendacium loquitur, ex proprijs loquitur, cum vera aliquando depromit , ad fouendum , colorandumque mendacium vtitur veritate ; vera, veritatis impugnator paucis vicibus loquitur , vt millies à ſe repetita mendacia, vera eſſe credantur .

Ho. Ego primam mendacij inuentricem mulierem fuiſſe multoties,& coram multis aſſerui .

Mulier prima ſemimendacij inuentrix.

Ang. Potius ſemimendacij ipſam inuentricem fuiſſe dicas , diabolum verò totius : Cum enim Dominus legem condens abſolutè dixiſſet . Quacunque hora ex eo comederitis , moriemini, illa velut præcepti rigorem minuens , addidit, ne forte moriamur,diabolus ſemimendacio mulieris quodammodo animatus mendacium integrauit dicens , nequaquam moriemini .

Mendacium ex diabolo, & mulier,tanquã ex vtroque parente progenitum.

Ho. Si ſic eſt, mendacium ex muliere,& diabolo,tanquam ex vtroque parente genitum iactare ſe poteſt,atque tam illuſtri proſapia ſatum, iure inter nobiles conuerſatur .

Ang. Nihilominus,adhuc diabolus omnium primus mendacij inuentor extitit ,.& origo , tunc enim primùm mendax fuit,cum in veritate conditus à veritate receſsit,& antequam doloſa eius lingua tranſiret in terrã , os ſuum mendax poſuerat contra cælum ; cæleſtes incolas,vt ſibi adhærerent,ſummo Conditore relicto,blanda benedictione demulcens, mendaciſſima quos potuit promiſsione fefellit , ſic miſer effectus ex Lucifero noctifer , ac propterea ex corruſcantiſsima Empyrei luce deiectus, futurus Angelorum princeps,tenebrarum principem ſe inuenit,in Deum ſemper,& in reliquos,qui ſteterunt

Summa miſeriarũ malorum cadẽtiũ Angelorum.

Ipſorum ad hominem decipiendũ fraudes.

ver-

verbis malignis garriens. Mox acutiſsimis inuidiæ ſtimulis agitatus, centuplici fraudum volumine ad hominem decipiendum accurrit. Et attende, quomodo ſimulatam iaculari ſibilo peſtem in fœmineum caput draco ille incœpit. Eritis, inquit, ſicut Dij, qui Dij? quos deinceps poſteri adorabunt. Dæmones tanquam Deos venerati ſunt homines: Igitur reuelata ambage, ſenſus eſt, mei ſimiles vos efficiam, ſic mutilam ſpondet veritatem ambiguo venenatam mendacio. Conclude ergò, quòd non morum, ſed ſcientiarum veritas in malis Angelis illuceſcit, qua & bonum ſciunt, quod obſtinati efficere nequeunt, & malum, quod euitare non poſſunt. Hoc idem permultis accidit ſcientificis, qui ſine morum veritate ſe eſſe veridicos glorientur.

Ho. Quæſo moralitatem ſinamus; hoc me terret, quod & nunc ingens dæmonum turba iſtum peruolat aerem, nec procul à nobis hoſtium caterua diſcurrit.

Ang. Melius diceres, moralitatem hanc ſinamus. Moralitatem, quæ ſcientificum carpit, ſcientificus ſtomachatur, eam verò, quæ alios mordet, mordaciter ſæpè repetit, & ſæpius repetita non diſplicet. Notà admirabilem Angeli ſententiã.

Ho. Vltima hæc concluſio me iuſtè concluſit, ſit pro amore Dei. Naturalis malorum Angelorum cognitio dicinè poterit veſpertina? Dubium duodecimum.

Ang. Non, ſed potius nocturna, cognitio namque veſpertina res cognitas refert in laudem Conditoris, quod improbi illi nec faciunt, nec Deus vult à talibus laudari. Quinimo propterea ipſe Deus in carne latens, dæmones in obſeſsis corporibus ſeipſum (licet de veritate incertos) propalare, ac laudare volentes, vt tacerent, acerrimè increpabat, & obmuteſcere faciebat. Solutio.

DESPERATA DAEMONVM CVM BONIS *Angelis pace, implacabile inter vtroſq; geritur bellum.*

CAPVT DECIMVM.

Ho. HIs rurſus alia nectuntur dubia, quæ, vt contexti floribus flores, ſtemma florum varietate pulcherrimum paulatim fabricant. Num poſt ſeparationem tenebrarum à Dubium primum.

luce,

luce, hoc eſt, malorum Angelorum à bonis, aliqua remanſerit inter vtroſque communicatio?

Solutio. *Ang.* Quæ communicatio lucis ad tenebras? diei cum nocte? ſpiritum lucis cum Angelis tenebrarum, quorum eſt inter ſe deſperata pace implacabile bellum, finiendum nunquã, in ipſa diuiſione vtrique parti aperto marte indictum? His adde, inter nos, & illos chaos magnum firmatum eſſe, vt neque nos ad eorum ſtatum tranſire poſsimus effecti per gratiam impeccabiles, neque ipſi ad noſtrum tranſmeare conſortium, quia nec ad pietatem redire, ſed potius infixi in limo profundi, ſeſe impietatis terminos poſuerunt æterno tempore inconcuſſa ſtabilitate manſuros; vbi præſcriptum eſt his, qui cælum incolunt, non plus vltra, nec vſque ad ipſos, quia nedum vltra progredi, ſed etiam prope accedere eſt penitus impoſſibile.

Dubium ſecundum. *Ho.* Quid ergò cum illis vos plerunque loquimini? ſiquidem deſperata inimicorum pax ſicut commercium prohibet, ita etiam colloquia interdicit.

Solutio. *Ang.* Si loquimur, quod rarò contingit (nam dies diei, non nocti eructat, vt in plurimum, verbum) loquimur imperando, non aue eis dicendo, ſed eis væ potius intimando, quod proprium inimicorum eſt ad pugnam ſeinuicem irritantium. Cæterum nullo in loco ſecuros eos conſiſtere patimur, ſed vbique in eos inceſſanter inuehimur; nunc eis minas intentamus, nunc metum incutimus, modo eorũ dedecus zelo honoris Dei improperijs augemus, modo eos vi coarcemus, poteſtate fugamus, imperio relegamus, ſed vnum eſt ſemper idem, odium videlicet execrabile, quo èos perpetuò inſectamur; multis namque & quidem grauiſsimis nos ad eos odiendum cauſis prouocamur. Propter Deum, propter Angelos, propter homines, propter ipſos dæmones.

Cauſæ, quibus boni Angeli mouētur ad odiendum dæmones.

Propter Deum, quia nos cum ipſo idem velle, idemque nolle habentes, quos ille odit, non poſſumus non odire; Altiſsimus autem odio habet peccatores in peccato ſcilicet obſtinatos extra ſtatum poſitos redeundi, inter quos primum locum ſibi dæmones vendicant; qui ſua ebrij ſpecie, ac natiuo nimium ſplẽdori affixi, increato lumini exſtitere rebelles, cratricemque lucem effuſi in tenebras contempſerunt, & ab eo, cui ſubiectionem, fidelitatemque debebant, ſuperbè, & infideliter receſſerunt. Abeant ergò tenebræ lucifugæ, & ſuperni lumi-

luminis contemptrices,à filijs lucis modis omnibus contemnendæ.

Propter Angelos,quia ipſi dæmones iam auerti,nos quoque à ſummo, & incommutabili bono fallacibus rationibus, impioque conſilio auertere ſunt conati; & niſi Dominus adiuuiſſet nos, paulominus in inferno, ſicut illorum eſt,fuiſſet habitatio noſtra; & quemadmodum tertiam ſtellarum partem ferali cauda ſecum traxit draco ille tartareus, ſic omnes quoque traxiſſet.

Propter homines, quia dæmones licèt inter-ſe diſpares, infideles,maligni,iurgijs,rixis,atroque liuore tabeſcant, tamen propter immane odium, quod in humanum genus exercent, indiuidua cura,fideli comitatu,æquali ſollicitudine, pari conſilio,conſenſuque vnanimi veſtræ incumbunt ruinæ,de veſtra ſemper pernicie exitialiter cogitant; denique in cunctis diſcordes, in hoc vno concordiſsima voluntate conueniunt.

Ho. O nos miſeros in tantis periculis tanta ſecuritate torpentes,inſtar puerorum,ibi trepidamus,timore, vbi nō eſt timor,leuia,& nullius prope momenti pertimeſcimus mala, & coniuratos contra nos dæmones non timemus: certè niſi plures nobis adeſſent Angeli ad tuendum, quam dæmones ad nocendum; niſi maiorem vim iſti haberent ad ſaluandum, quam illi ad perdendum,actum eſſet de nobis. Væ nobis; ſi ſe illis verbis hortari poſſent. *Perſequimini,& comprehendite eos,quoniam non eſt qui adiuuet.* Pſal.70.

Inter quot dæmonū pericula homo ſtulta ſecuritate verſetur.

Ang. Denique dæmones propter ipſos eliminata pace odimus, quorum deſperata eſt in perpetuum ſalus, quorum iniquitas non momentaneo, ſed odio digna eſt ſempiterno. Itaque vna ſalus reprobis, nullam ſperare ſalutem.

ROGATVS ANGELVS A THEOLOGO, Angelorum prælium,& malorum caſum humano more contexit hiſtoriam.

CAPVT VNDECIMVM.

Ho. EGo chariſsime cuſtos, vellem tandem,ſi placet, vt illud Angelorum diſsidium,prælium, caſumque malorum mihi iuxta modum homini intelligendi poſsibilem,quaſi talia hominibus accidiſſent,planè, ac dilucidè humano more deſcri-

deſcriberes; quod in ſacra Scriptura ipſe Deus quandoque facere minimè dedignatur, hebraiſmis vtens, vt Hebræorum captui ſe accommodet.

Ang. Quid multa? Poſtulata libenter faciam. Conditis nobis,& adhuc in via degentibus,vtpotè præditis quidem gratia, ſed noneum beatitudinis ianuam introgreſsis, ſic Deus affatus eſt. Audite me Angeli mei, & percipite quæ loquor ad vos; ſciatis me decreuiſſe, & magno conſilio firmaſſe, hominis naturam aſſumere velle, voloque homo eſſe, & in vtero vnius mulieris concipi, & naſci ex ea, (nos interim mirabamur quare id facere vellet)ego ero homo,& homo erit Deus, & ſi Deus,ergò & veſter Dominus,veſter Rex, veſter Princeps, & vos omnes ſubijciemini poteſtati eius,coletis eum, & adorabitis ſicut me; quia ipſe, & ego vna perſona erimus, vna adoratione adorabimur à vobis: Illam quoque mulierem, quam in matrem elegi,præponam omnibus vobis,erit Regina veſtra,adorabitis, & coletis eam tanquam Genitricem Dei,& Domini veſtri. Hoc volo,hoc mando, hoc vobis iubeo: Qui hæc fecerint,& facere voluerint, oſtendam eis faciem meam, & gaudebunt in conſpectu meo, in quo eſt bonum omnis boni in ſempiternum: Qui verò noluerint obedire huic decreto, cadent à loco iſto ad locum tenebrarum, & caliginum,neque donis, quibus veſtiui eos, vlterius potientur, ſed gratia mea priuabuntur,& in locum detrudentur, in quo nollent manere, imò abhorrebunt, ſemperque amœnitatem, in qua nunc ſunt, cupient,& nunquam habebunt.

Lucifer reſpondit. His auditis,vnus inter alios proceres nobiliſsimus, quem vos Luciferum appellatis, omnium primus ſic incœpit alios alloqui. Quid vobis videtur fratres mei? iuſta nè ſunt mandata Dei noſtri? ſcitis quid ſit homo, & quid mulier? non nè nos longè digniores ſumus illis? nónnè genus noſtrum ſuperat genus humanum? Quæ iuſtitia,quæ pietas mouet Deum noſtrum, vt homo eſſe voluerit, & non Angelus? Cur homini nos omnes ſubijcere voluit, potius quàm vni noſtrum? Ecce Michael magnus eſt; ecce Gabriel; & egò quàm dignus ſim, vos videtis: Noluit vllum ex nobis aſſumere,noluit hanc ſummam dignitatem alicui noſtrum concedere.

Michael reſpondet Lucifero. Tunc Michael primus,& plurimi alij,& ego etiam pro modulo meo ita illi reſpondimus. Dignus es Lucifer,& magnus es,diues,& potens es,ſed Deus,qui nos,cum non eſſemus,creauit,

uit, multò dignior, multò maior, multò dictior, multò potentior te eſt,& omnibus nobis; non licet contra decretum eius, decretum facere, neque contra conſilium conſilium, neque contra ſententia ſententiam: Conatur ad impoſſibile,quicunque contra ipſum quicquam tentat. Deus eſt, Dominus eſt, voluntas eius iuſtiſsima, & rectiſſima,& omnipotens, errare non poteſt; quicquid vult facere poteſt: Iudicare, & diſcernere decreta eius, vanum eſt, & ſuperfluum: Humiliemus nos ſibi, ſubijciamur non ſolum homini, ſed ligno,& lapidi, ſi ipſe iuſſerit,ſi ipſe voluerit.illa iuſta exiſtimāda ſunt, quæ ſibi placent; illud opus pium, & bonum, quod ipſe vult: eſſe non poſſumus,ipſo nolente. Quid mihi aufert,ſi mihi non confert, quod conferre nulla obligatione tenetur? Quid tibi de tuo aufert,ſi homini illud donum tribuit? ſi homo nunquam crearetur,quid fuiſſes,niſi quod es? quid accepiſſes,niſi quod promiſſum eſt tibi? Ad tantam dignitatem admiſſo homine, quid amittimus nos? Quid habemus, niſi ab ipſo datum, & conceſſum? Inuidere eſt, bonum alienum videre non poſſe. Quid habere poterimus boni, ſi ipſe noluerit? Certus ſum neque in ipſo errorem cadere poſſe, neque iniuſtitiam. Quidquid agit, bonum eſt, dolere de bono, iniquum eſt. Mitiga te Lucifer, humilia te, ſubditus eſto Deo tuo.

At Lucifer liuore inuidiæ,& odij, & præſumptionis plenus, ſimiliter dictis eius replicare cœpit. Ego,inquit, dignitatem illam vellem,ego Deus eſſe cupio, valde maior ſum homine; volo,vt homo me adoret,non ego hominem;nunquam conſentiam,nunquam adorabo; nunquam tale mandatum iuſtum putabo; Quinimo iniuſtum Deum, & iniquum eſſe talia iubentem aſſero. Hæc ſententia mea eſt, hoc conſilium, hoc decretum; & nunquam aliquem illorum, qui oppoſitum ſentiunt, amabo; nunquam ſuaſionibus veſtris aſſentiar; ſicque excandeſcens, in nos quoque odium, & iram ſuam effundere conatus eſt, quem multi ex Angelis ſequuti ſunt, eiuſque ſententiæ adhæſerunt; plures tamen nobiſcum perſtiterunt. *Replicat Lucifer.*

Facta eſt quoque inueſtigatio, cur Deus voluit hominem tantum exaltare? & quidam afferebant rationem vnam, & quidam aliam, & confutabant eas; nos ſolidi in dilectione, & obſeruantia Dei dicebamus. Satis eſt nobis noſcere,ipſum id velle, & velle niſi bonum, & rectum non poſſe; Adoramus Deum hominem, & veneramur eius Genitricem. Sic itaque

F orta

orta eſt inter cælicolas tempeſtas valida, conflictus aſſiduus, & decertatio. Et ipſe Lucifer adeò in ſui amore exarſit, & odio, & inuidia in hominem, quòd quamuis ſciret Deum errare non poſſe, neque iniuſtè agere, ac propterea iuſta videns, & bona, ſequi tamen voluit mala. Concupiuit eſſe Deus eo modo, quo & homo nunc eſt Deus: Videbat id poſſibile, & quaſi rationabilius, quia digniorem homine ſe putabat, & profectò erat natura dignior: Non placuit, vt Deus ſibi hominem præferret, & ita præferre, vt ipſius Dominum faceret. Hæc eſt illa inuidia per quam intrauit mors in genus humanum, & in Orbem terrarum. Tum demum rebellantibus illis, factum eſt

Apoc. 12. prælium magnum inter nos, & illos. *Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non praeualuerunt, neque inuentus eſt locus eorum amplius in cælo.* Sed ipſa die, qua fuit dies, & nox diuiſa, & nos fuimus diuiſi, proiecti enim fuerunt (Michaele, & nobis alijs pugnantibus, & Deo bonis fauente) in hunc aerem caliginoſum. Hoc fecit præſumptio, hoc inuidia, hoc contemptus mandatorum Dei.

Diuiſis igitur ſpiritibus illis bonis, & malis, ſicut & luce à tenebris; boni facti ſunt dies, & lux perpetua. Mali verò nox, & tenebræ, & nubila ſempiterna; non quia naturam mutauerint, ſed quia malis, & tetris, ac obſcenis operibus pleni, in caliginoſum aerem fuerunt demerſi. Ex tunc Lucifer cœpit infeſtiſſimo odio hominem perſequi, adeò vt nihil intentatum relinqueret, vt ſobolem, ex qua Chriſtum nouerat naſci-

Exod. 1. turum, de medio tolleret: Huc illius deprauata tendebat intentio, cum Pharaonem, vt omnes Hebræorum maſculos occideret, incitauit; quia ex illis carnem aſſumpturum Filium Dei ex promiſſione magno cunctarum gentium Patri facta præſa-

Eſther 3. giebat. Eadem ratione conatus eſt per Aman Hebræorum

4. Reg. 11. genus omne delere. Sic per impiam Athaliam omne ſemen regium, ex quo Chriſtus naſciturus erat; Et per An-

1. Mach. 2. tiochum genus omne Iacob, quod in Machabæis vigebat, extirpandum curauit. Et ipſum puerum Ieſum, vt eum perderet, innumeris expetiuit inſidijs; reputans quàm maximè ipſum

D. Tho. 3. p. q. 44. ar. 1. tot mirabilia operantem eſſe Filium Dei, quamuis dæmonem vſque ad victricem Chriſti mortem indubitata veritatis latuerit certitudo.

Ho. Ita clarè, & apertè mihi homini viatori ſolùm viſibilibus

libus aſſueto, prælia illa inuiſibilia, quæ olim nudis ſpiritibus contigere, repræſentans obiecisti, vt clariùs intelligere minimè potuiſſem, ſi de ipſis Adæ filijs bella inter ſe gerentibus ageretur. Et ego tam mira, dum loqueris, iucunditate afficior, vt ſi die integro tragicam hanc proſequereris hiſtoriam, prætereunte die, vix vnam diei particulam præterijſſe putarem.

COMPARATIO VTRIVSQVE NATVRAE quantum ad lapſum.

CAPVT DVODECIMVM.

Ho. O Rem infauſtam, & miſerabilem caſum, ſortemque æternis deplorandam fletibus, quomodo creaturæ illæ diuinæ bonitatis primitiæ, prima diuini amoris incendia in odium verſæ, inuiſæ omnibus, omnibus aduerſantur, abominabiles, & deteſtabiles, execrabiles vniuerſis? Quomodo tot proceres vix erectæ cecidere columnæ? Quomodo ſpecula illa puriſsima duplici ſplendẽtia luce, eclypſim paſſa æternaliter duraturam, abiere in tenebras? O peccatum execrabile monſtrum, imò inferorum monſtruorum parens, infinita fugibilitate dignum, ruinarum omnium, deſolationumque origo, ipſo deteſtabilius dæmone, quia tu ex Angelis dæmones effeciſti, tuque Deum ipſum natura mollem vitio tuo in peccatorem facis eſſe duriſsimum. O certè fortunati illi, & felices, quibus datum eſt fieri ex aliorum vulnere cautiores. Video ſatanam inſtar fulguris cum ſuis de cælo cadentem, nunquid eò, vndè cecidit peccator Angelus, aſcendet peccator homo? Sed quare ſic irreparabiliter cecidit, vt nulla ſupereſſet ad ſtatum priſtinum redeundi facultas? Cur inquam deiectus, ſic iacuit miſer, vt nunquam deinceps eſſet ſurrecturus?

Quàm miſerabilis Angelorum caſus.

Ex Angelorũ ruina homines fieri debent cautiores.

Ang. Gaudeo talia te de peccato ſentire, ſed vt hæc vtilia ſint, iuncta ſit cum theorica praxis. Quod autem profundè admiratus exquiris, cur dæmones ſemel victi, ſemelque proſtrati, ſic miſeri iacuerunt, vt ſurgere vlterius nunquam poſſint, hoc idem ego de homine, peccato comite, vita functo, à te viciſsim quæro. Cur homini peccatori hoc idem accidit poſt mortem?

Quare dæmones ſic iacuerunt, vt ſurgere nunquã poſſint.

Ho. Quia completa via, extra ſtatum ponitur viatoris, fitque irremeabilis inde recurſus.

Ang. Rectè, ſed hoc eſt Angelis caſus, quod hominibus mors. Arbor namque tam Angelica, quàm humana, ſiue ad Auſtrum electorum flamma æternæ charitatis ardentium, ſiue ad Aquilonem reproborum infidelitatis frigore algentium ceciderit, ibi immutabiliter ſemper erit.

Ho Dictu quidem facile, captu verò difficile eſt hoc aſſertum, cauſam ſcire cupio, cur hoc idem ſit Angelis caſus, quod hominibus mors.

Angelus adhuc viator fuit vertibilis ad oppoſita ſemel tantum. Homo viator vertibilis ad oppoſita ſemper manet.

Ang. Angelus cum adhuc eſſet in via, fuit vertibilis ad oppoſita ſemel tantùm, quia cui primo inhæſit, toto conatu, & ſine retardatione inhæſit, deinceps immobiliter ſemper idem; homo verò viator vertibilis ad oppoſita ſemper manet, & non ſic vni inhæret, vt immobiliter ſemper hæreat. Igitur Angelus ante caſum, homo ante mortem vertibiles extiterunt, ille vna tantum vice vertibilis, hic verò ſemper, ſed tam Angelus poſt caſum, quàm homo poſt mortem inuertibiles fiunt, in eo ſtatu, quem ſortiuntur æternaliter permanſuri. Si hæc intelligis, cauſam quoque tenes, quare hoc idem ſit Angelis caſus, quod hominibus mors.

Ho. Hinc etiam intelligo, quare Angeli citiſſime de via ad ſtatum venerint, homines verò tardè admodum, & eorum plures nonniſi poſt longa temporum interualla.

Quàm infelix primorũ hominum caſus

Ang. Igitur, infelix quidem, ac deſperato clamore lamentabilis Angelorum caſus, ſed non minus triſtis, & lachrymabilis veſtra quoque mutatio. Homo non tam, detenui erectus creuit origine, quã de ſublimi infelix cecidit altitudine. Aduerte hominem pulcherrimum quondam, & ſapientiſſimum animal, terræ Dominum, cæli ciuem, domeſticum Domini Sabaoth, beatorum ſpiritum fratrem, & cæleſtium cohæredem virtutum, hiſce titulis, honoribus, ac bonis repentè ſpoliatum, & repentina à Deo auerſione actum in culpam, de Domino euaſiſſe mancipium, & ſub dura dæmonis ſeruitute captiuum, ſubiectumque diræ mortis imperio, mox ſpiritualiter mortuum, poſtmodum corporaliter moriturum, & in puluerem, de qua ſumptus fuerat, reuerſurum.

Quare Angeli nunquam in mulieris effigie apparuiſſe legantur, licet in alijs ſæpè formis apparuerit.

Ho. O funebre, & infauſtum nimis primiginæ mulieris nomen, & recordatio, ex te malorum omnium initium factum nouimus, & per te miſerrimè morimur vniuerſi. A myſterio vacare non arbitror, quod Angeli ſæpe ſub ſpecie rei inanimatæ, ſæpius ſub diuerſis animalium formis, ſæpiſſimè ſub pulcher-

cherrimo iuuenis aſpectu, nunquam in mulieris effigie apparuiſſe legantur; Nunquid huius rei cauſa fuit execrabile illud Euæ cum odioſiſsimo Angelorum hoſte colloquium? Nec item ſine myſterio memoretur Deum, antequam mulierem formaret, coram Adam cuncta ſpeciatim animalia adduxiſſe, vt eis nomen imponeret, & perquireret, ſi fortè inter tot animalium ſpecies adiutorem ſui ſimilem inueniret, quo non inuento (ſic enim Scriptura refert. Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.) Neceſſitate quodammodo mulierem formaſſe, quam præſciebat paulo poſt in deterius verſam, ſuamet prauitate futuram totius Orbis ruinam.

Gen. 2. Ante creationem mulieris exploratum fuit, an inter alias animalium ſpecies Adæ inueniretur adiutor ſibi ſimilis.

Ang. Mala, quæ hic mortales patiuntur inuiti, non mulieri, ſed vni Adæ accepta referant vniuerſa, niſi enim ipſe compleſſet, quod illa incœperat, pœna pro culpa tantum fœminea infligenda, hæreditaria ſucceſſione ad poſteros non tranſiſſet, ſed eam ipſa, quæ peccauerat, exoluiſſet.

Ho. O certe miſerabilis amborum caſus, amborumque ruina, omni lachrymarum fonte plangenda; & quod adhuc miſerabilius eſt, hoc in vtroque vtriuſque naturæ principe contigiſſe. At licet vtriuſque naturæ princeps vterque ceciderit, mihi tamen mitius cum homine, quam cum Angelo actum fuiſſe videtur; Namque Angelorum princeps cum cæteris ſe ſequentibus cecidit reliquendus, hominum verò princeps cum ſuis pleriſque poſteris cecidit erigendus.

Lucifer cum ſe ſequentibus cecidit reliquendus, homo cum ſuis pleriſq; poſteris cecidit erigẽdus.

Ang. Parum dicis, ſed vſquequo erigendus? O felix poſt caſum erectio: Ad illam vſque beatam, ex qua ille cum ſuis cecidit, regionem.

Ho. Ad contumeliam tuam, ſuperbe Lucifer, qui tam ſublimis creatus, inter Angelos ſtare non meruiſti, ſed malignans oculus tuus cum illic nimium caligaſſet, tenebris circumfuſus, in tenebras cecidiſti. Ecce Rex noſter nouos in terra Angelos fabricaturus aduenit, vt ſedeant cum principibus, ſedeſque repleant proiectorum.

Ang. In hoc tamen Deus mitiùs cum Angelo, quam cum homine, ſe geſſiſſe videtur, quod hominum maximam, Angelorum minimam partem reprobauit; & nunc Angelorum quidem plures complectitur regnum Chriſti, pauciores regnum diaboli, ſed hominum plures habet regnum diaboli, pauciores regnum Chriſti.

Quomodo Deus mitiùs ſe geſſerit cũ Angelo, quã cum homine.

Ho. O ſi vnquam deſtructo inferorum regno, in regnum Chri-

Chriſti coaleſcerent vniuerſi, quod aliquando futurum Origeniſtæ cum ſuo errante Origene aſſerebant.

Ang. In hoc etiam benignè magis cum Angelis, quàm cum genere veſtro Deum ſe geſſiſſe apparet, quòd Angelos nonniſi propter culpam ſponte, & propria voluntate commiſſam, multos verò homines propter crimen aliena voluntate patratum condemnauit.

Ho. Sed illos duplici, hos verò vna tantum pœna mulctauit. Attamen, quæſo ne dicas, Deum benignè magis cum Angelo, quàm cum homine ſe geſſiſſe; quia benignitas Saluatoris noſtri Dei apparuit non Angelis, ſed hominibus.

Ang. Non minus ſuper Angelos benignitas claruit Conditoris, quam ſuper homines benignitas Saluatoris.

Ho. Vtique ſed illa fuit vtrique naturæ communis, hæc verò hominis tantum propria.

Caſus dæmonū, & primorum hominū quantum timoris incutere mortalibus debet. Si in conſpectu Dei ſtabiles non fuere colūnæ, multo minus virgulta.

Ang. Rectè, ſed attende chariſſime, quantum deberet timoris incutere mortalibus amborum vtriuſque naturæ principum geminus ille caſus. Si enim flante ſuperbiæ vento, ſtare non potuerunt, qui tantam ſtandi acceperant firmitatem, quomodo reliqui ſtabunt homines inanes, inſtabiles, atque ipſa vanitate vaniores, ſi hac peſte laborent? Ecce ex his, qui ſeruiunt ei, quam plures, qui alioqui columnæ videbantur, ſtabiles non fuerunt; ſi in Angelis ſuis, in quibus minus reperiri poſſe videbatur, reperit prauitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, ſi flatu ſuperbiæ turgidi inſoleſcant, inſtabiles erunt, & ſeptempliciter in eis Deus reperiet prauitatem?

Tremendum iudiciū, quod Deus exercuit in Angelos, ſūmopere terret homines.

Ho. Argumentum omnino concludens. Si Angeli, qui ſpiritus ſunt, & cæli incolæ, cum diuini iudicij veritatem ſubeāt, habent, quod in ipſis reprehendi poſſit, quid nobis fiet, qui ex argilla ficti ſimus, terramque habitamus? Certè inſperatus ille ſupernorum ſpiritum lapſus præcipit hominibus nil de ſe ſublime ſuperbiendo ſapere; ſi enim Deus Angelis peccatoribus non pepercit, ſed aduerſus eos prauum quid aduertit, ſupplicium ſcilicet, tanta illorum prauitate condignum excogitauit, atque conſtituit, aduerſus homines, quos prauos repererit ſcrutor cordium Deus, quænam ſupplicia iam decreuerit, adinuenerit, præparauit? Denique ſi primos illos in crimen turpiter lapſos, nulla prorſus nec ſtatus, nec primatus, nec loci, nec (quod terribilius eſt) perſonarum habita ratione,

ne,

ne, tam atroci iudex pœna mulctauit, tam immaniter in eos omnipotentis ira deſæuijt; num cæteros peccantes impunes abire permittet?

Ang. Itaque non minus Angelica natura, quam humana poſt vtriuſque ruinam, dictum illud ſibi vſurpandum putatunt. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.*

QVAEDAM DE AMBORVM PRINCIPVM caſu curioſa ſoluuntur dubia:

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ang. SI duos hos tantarum perſonarum caſus perſpectos haberēt homines, & quàm breue ſit in peccato quod delectat, & quàm longum quod amareſcit, attenderent, plus æterna eos terreret amaritudo, quam momentanea alliceret delectatio; ſiquidem delectatio occidit, & præterijt, vulnerauit, & tranſiuit, miſerum fecit, & abijt, infelicem reddidit, & reliquit. *In peccato delectatio momentanea, amaritudo æterna.*

Ho. Quàm malignum, quàm iniquum, quàm peſtiferum, quàm fœdum ſit peccatum, malignitas, iniquitas, peſtilentia, & ipſa ſpirituum infectorum, atque inficientium fœditas ſummam peccati, peccantiſque miſeriam ſatis ſuperque demonſtrant; & vt de reliquis taceam, auſim dicere fœditatem ſpiritus peccati ſorde polluti aliam quamcunque longè excedere turpitudinem, itaut fœdiſſima quæque res in illius comparatione aliqua videatur pulchritudine decorari. Quapropter, ſi hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & vni eorum neceſſariò haberem immergi, potius me in gehennam immergerem, quàm peccatum in me immitterem: mallem enim à peccato purus infernum intrare, quàm peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere. *Eligebilius eſt apud inferos eſſe ſine peccato, quam apud ſuperos cum peccato.*

Ang. Rectè dicis, nam ſi impoſſibile hoc, poſſibile vnquam foret, vt peccati expers ad Tartarum trudereris, vel tibi infernale baratrum eualeret Paradiſus, ardenteſq; rogos in ſplendidiſſimam illam empyrei lucem commutatam videres, vel ſtatim te Orcus euomeret, & ad ſuperos proſileres; & contra, ſi cum peccato ad regna empyrea conuolares, vel mox inde deijcereris, vel ibi gehennæ incendia patereris.

Ho. Itaque melius illis erat, ſi producti non fuiſſent ſpiritus

tus illi, qui mox conditi propria culpa immenſis, æterniſque fuere cruciatibus deputati; ſed cur Deus creauit, quos in præceps tam citò præſciuit ituros?

Cur Deus cõdidit Angelos, quos in præceps tam cito præſciuit ituros? Solutio dubij

Ang. Deus neque Angelum, neque hominem aut malum, aut ad malum condidit, ſed rectum, & inexterminabilem, ſuaque imagine inſignitum vtrunque creauit, eique ſtatim appoſita ſunt bonum, & malum, vita, & mors, vt ambo in manu conſilij ſui relicti (non tamen ſine auxilio gratiæ) pro innata arbitrij libertate ſponte quod vellent, eligerent; quòd ſi quidam illorum neglecta vita, mortis ſeſe ſubdidere imperio, & à ſummo bono auerſi, malo, ex quo ſurgere nunquam poterunt, inhæſerunt, nil prorſus inconuenit Conditori, qui quantum in ſe fuit, ſicut eos fecit duplici bonitate bonos, ſic ad finem optimum ordinauit, congrua, cuique media, quæ ad perueniendum ſufficerent, dilargitus.

Ho. Sed cum nihil fiat in mundo, viſibile, vel inuiſibile, quod de aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, tam grande malum ſi non iuſſit, ſaltem permiſit, ſed quare cum poſſet, noluit impedire?

Quare Deus pmiſerit Angelorum caſum.

Ang. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? plus velle ſapere quam oportet, præſumptio eſt, & ſuperbia; quod placuit iuſto, non potuit eſſe iniuſtum; Illi ſoli licet mala permittere, & nec impedire, cum poſſit, qui nouit, & potens eſt ex malis maiora elicere bona.

Ho. Quæſo me tuis hiſce reſponſis haud illicita exquirentem ne terreas; etſi enim diuinorum operum, quæ à ſola Dei voluntate dependent, cauſas perſcrutari, temerarium ſit, non tamen video, cur non liceat aliquas ex pietate, & deuotione congruentias aſſignare; quid enim, ſi dicerem Deum hoc permiſiſſe, & quemadmodum in electis Angelis bonitas, ita iuſtitia appareret in reprobis?

Solutio dubij

Ang. Si de congruentijs agitur, adde etiam, quod congruum fuit, & ad prouidentiam pertinuit Conditoris malorum caſum, ruinamque permittere, vt eſſet vnde vincerent, & coronarentur electi. Verumtamen in his etiam congruentijs aſsignandis Theologum ſobrium eſſe oportet, & in ipſorum adinuentione non in ſuæ ſpeculationis acumine tantùm fidat, ſed etiam, & potiſsimum ſanctarum Scripturarum teſtimonijs ſimilibus ſimilia conferens innitar; & priſcorum Patrum placitis libenter inhæreat.

Doctorem in aſſignãdis diuinorum operũ rationibus ſobrium eſſe oportet, & in ipſarũ inuentione cautũ, plus diuinæ Scripturæ, quam ſibi fidentem.

Ho. In-

Ho. Intellexi ſatis,aliud quoque dubium in promptu habens proponere cogitabam, ſed timeo, ne curioſitatis nota inurar,quemadmodum in præcedenti merui ſuperbia , & profumptione notari .

Ang. *Meliora ſunt vulnera diligentis , quam fraudolenta odientis oſcula* . A me tibi expedit admoneri , vt admonitus ab Angelo , non irridearis ab homine , vel ſubſanneris à dæmone, vel in furore ſuo caſtigeris à Domino ; Propone dubium .

Prou. 27. Pulcherrima Angeli ſententia, & admonitio.

Ho. Quare prouidentiſſimus Creator , quem nullus futurorum latet euentus, tanta magnificentia, tantaq. delitiarum copia cumulatum terreſtrem condidit Paradiſum breui admodum tempore ad vſum hominis duraturum ? Siquidem locus erat (vt memini me legiſſe) delicijs omnifariam affluens, omnem creaturæ ſenſibilis exuperans pulchritudinem , ob ſublimitatem loci,in quo erat , nulla ex parte tenebras admittens, ſed exorientium ſyderum ſplendore ſemper illuſtratus, in quo nulla erat immodica ventorum vis , nulla tempeſtatum procella, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens Æſtatis ardor , nulla moleſta , & noxia Autumni ſiccitas,ſed temperata, & pacifica omnium temporum inter ſe cōſonantia,ita vt, quod in vnaquaque anni tempeſtate optimum eſt , & iucundiſsimum,in ſe haberet, ſcilicet Veris amœnitatem,vbertatem Æſtatis,Autumni hilaritatem , Hyemis otium, & quietem, eius terra pinguis erat,& mollis , omnium bonorum,ac voluptatum fertilis, quam veriſsimè dixiſſes fluere lacte,& melle . Cur inquam opus fuit hunc deliciarum locum pro homine condere , à quo confeſtim exulare debebat, haud vltra ad ipſum miſer rediturus ? Idem pariter oritur dubium de Lucifero ſpirituum reproborum principe, cur ſcilicet in empyreo,à quo mox eijciendus erat,conditus ſit ?

Cur Deus cōdidit terreſtrem Paradiſū exiguo vſui futurum homini.
Baſil. in orat. de Paradiſo.
Deſcriptio terreſtris Paradiſi.
Cur Deus Luciferū in empyreo, mox inde eijciendum cōdidit.

Ang. Non eſt omnino par vtriuſque ratio , nam quemadmodum cælum illud non inane creatum fuit , & vacuum , vt terra,quæ nihil, in ſua prima creatione virentium germinum, vel viuentiū produxit animantium,ſed ſuis incolis mox creatum,beatiſsimis ſcilicet Angelorum agminibus impletum eſt, ita deinceps poſt malorum caſum , reliquos electos ſpiritus tanquam primigena ipſorum patria continet in tota æternitate manſuros ; non ſic terreſtris Paradiſus,qui poſt eiectum hominum Protoplaſten, inanis ſemper fuit, ac ſemper habitatore

Solutio vtriuſque dubij.

 tore

tore vacuus: Deinde cælum illud creari oportuit, ne mundus eſſet Acephalus, eſt enim velut huius maximi corporis caput. In hoc tamen rationis paritas vtrobique conſiſtit, & vtrunque ſoluitur dubium, quod Deus in aſſignando tam Angelis caſuris, quàm hominibus peccaturis domicilia, non quid futurum eſſet, ſed quid præſens eorum ſtatus expoſceret, æſtimauit, vnde, quamuis ſciret ſtatim hominem peccaturum, tamen quia innocenti Adæ tanta naturali, ac ſupernaturali rectitudine prædito ſtatus debebatur omnium naturaliũ bonorum aggregatione perfectus, ne quid felicitati eius deeſſet, condere conſentaneum fuit vernantiſſimum illum omnimodæ pulchritudinis Paradiſum.

Nota optimũ pro his, qui præſunt exẽplum.

Hinc optimum his, qui præſunt, quorum eſt adminiſtrare iuſtitiam, proponitur documentum, ne videlicet exiſtentia merita per futura demerita, quæ quodammodo præuidentur, irrita fiant, & inania dimittantur: Impium eſt enim futurum expectare demeritum, ne præſens remuneretur meritum; vt fiat ſine præmio meritum, & ſine pœna demeritum.

IMAGO DEI QVANTVM AD ſupernaturalia dona magis elucet in homine, quàm in Angelo.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ho. SEd omiſſis iam perditis illis, & contumacibus nunquam reuocandis exulibus. Dictum fuit ſupra magis in infimo Angelorum, quam in homine quolibet ſummi Conditoris elucere imaginem.

Ang. Et rectè quoque concluſum.

Ho. Spectata tamen imagine ſecundum ea, quæ vtrique naturæ naturaliter inſunt.

Ratio imaginis tã Angelo, quàm in homine dupliciter ſpectari poteſt.

Ang. Quàm ſubtiliter?

Ho. Imò quam veraciter. Ratio enim imaginis, & in homine, & in Angelo ſpectari etiam poteſt ſecundum gratuita, & ſupernaturalia bona, quæ quia non ſemper in vtroque contingit æqualiter reperiri, is, qui huiuſmodi dona ampliora, & potiora ab ipſo largitore accepit, ſiue Angelus ſit, ſiue homo, ſimilior, & propinquior erit Altiſsimo. Itaque pares, & qui excedunt, & qui exceduntur in vtraque natura fuere ſemper, & erunt,

erunt, nedum quoad gratiam in hac vita, verum etiam quoad gloriam in futura, vbi electi homines Angelicis ordinibus diſtributi, veſtram reparant ruinam, vacua proiectorum ſedilia replentes; Non tamen per accidens creatum hominem aſſero, ad ſupplendum ſcilicet numerum ſpirituũ reproborum, adhuc enim Angelo non peccante, homo tanquam pars potiſſima vniuerſi creatus eſſet, eumque Deus ſua tam illuſtri inſigniſſet imagine, vt in rebus quoque corporeis amicum, quem diligeret, & à quo viciſſim diligeretur, haberet, ſuæque delitiæ (vt cum præſtãtia noſtri generis loquar) ampliores eſſent cum filijs hominum, quàm cum Angelis commorari.

Homo conditus eſſet, etiã Angelo non peccante.

Ang. Vides, quomodo ex tuamet ſententia, in naturalibus abſolutè, in gratuitis reſpectiuè natura Angelica excedit humanam?

Ho. Nondum expletum meum interpellaſti ſermonem, in quo oſtenſurus eram in gratuitis abſolutè excedi, Angelicam ab humana, quemadmodum in naturalibus Angelica præcellit humanam, quod, niſi ſanctè, pièque ſuperbiendo dicere non valeo, ideò abſolutè in gratuitis natura humana excedit Angelicam, quod in natura noſtra ſit Deipara ſemper Virgo Maria noſtri generis decus, & ornamentum, quæ ſecundum gratiam, & gloriam longiſsimè Angelos ſuperat vniuerſos, ac propterea ſola (præ omnibus cunctis Angelorum comprehenſis agminibus) ſimilior Deo, cui ſic coniunctiſſima ſemper fuit, vt quantum ſine perſonali vnione, conditio patitur creaturæ, luci illi inacceſſibili videatur immerſa, & ſeraphim, qui inter cæteros electos ſpiritus ſimiliores, ac propinquiores Deo cenſentur, cum hac Virgine comparati, gradibus tam multis deorſum ab ea longè diſtare videntur, vt nulla ferè illorum ad illam inueniatur proportio.

Natura humana in gratuitis Angelicã ſuperat.

Ang. Vide quomodo, & qua emphaſi talia promens incaleſcit, genus ſuum in hac vna Angelos ſuperante extollens? Sed natura veſtra ſic noſtram ſuperat, quemadmodum torques ex auro minus puro torquem alium ex puriſſimo confectum auro vincit, propterea quod gemmam incluſam habet fulgentiſſimam: Vel etiam ſicut cryſtallus naturaliter purior, & clarior eſt, quàm commune vitrum, ſed vitrum irradiatum fulgore Solis magis elucet, quam cryſtallus exiſtens in vmbra, vel minus lucis radijs repercuſſa.

Naturæ Angeli cryſtallina, natura hominis vitrea.

Ho. Naturam veſtram cryſtallinam eſſe concedimus, no-

ſtram verò vitream non erubeſcimus confiteri,& in ſuis vtraque naturalibus conſtituta, vitrea fragilior eſt,& obſcurior, cryſtallina ſolidior,atque clarior; ſed nunc vitrea diuina virtute ſolidior,diuinoque lumine clarior, ſoliditate,ac ſplendore cryſtallinam præcellit in Virgine.

Natura vitrea diuina virtute ſolidior, diuinoque lumine clarior, quã cryſtallina.

Ang. Denique vilis qualibet materia alterius prætioſæ rei,ac pulcherrimæ fulcimento, in altiori prætio conſtituta, atque alieno magis, quam natiuo ſplendore refulgens, rem aliam naturaliter meliorem, atque illuſtriorem poterit ſuperare; quapropter vt rerum naturalis, & intrinſeca dignoſcatur præſtantia,valor,nobilitas, excellentia, prætioſum à vili, natiuum, à ſuperaddito, congenitum ab eo, quod extrinſecùs aduenit, ac tandem naturam à gratia ſeparare oportet; ſed tu velut hæc omnia confundens, tranſiſti genus de natura ad gratiam.

Ho. Iam ergo concedis aliquam creaturam ex genere noſtro per maiorem gratiam magis Deo appropinquare,quàm Angelum? hoc enim mihi ſat eſt, nec arbitreris me ſophiſticè voluiſſe diſtincta confundere, qui confuſa diſtinguere confuſionis hoſtis alios ſemper docui; nec propterea naturam cum vitio confundimus, cum dicimus dæmones fœdos eſſe, malignos,peſtiferos,quorum eſſentia nec fœda,nec maligna, nec peſtifera vnquam fuit.

Senſatũ Theologi reſponſum.

Ang. Paulatim Aquilam volare doces: Quod à me concedi expoſcis, abſque controuerſia concedo de quampluribus reſpectiuè,& de Deipara ſemper Virgine abſolutè,in qua tot, ac tanta fuere gratiarum munera cumulata,vt omnium vtriuſque naturæ Sanctorum in vnum congeſtæ gratiæ ad cumulum gratiarum huius Virginis minimè pertingere poſsint; Dixi autem me concedere de quampluribus reſpectiuè,non de omnibus,quia licet (vna excepta Virgine ſupra cunctos euecta) cæteri Sancti Angelicis ordinibus diſtributi, excedant alios,& ab alijs excedantur, non tamen ſic ſe habent omnes, multi enim ſunt,qui ad infimum vltimæ Hierarchiæ chorum ob exigua merita pertingere nequeuntes, chorum faciunt inferiorem infimo; hi neminem excedentes ab omnibus exceduntur, reliqui excedunt exceſsi, Virgo Deipara à nullo exceſſa excedit omnes.

In tres claſſes diſtincta tota beatorũ hominũ vniuerſitas.

Ho. Si ordinibus Angelorum decimum ſuperaddi, Seraphico aſſerente Doctore, aſſerui, quanto magis nunc idipſum

S.Bonau.in 2.ſent d.9.q.1.in corp.

Ange-

Angelo affirmante,nil prorſus hæſitans affirmabo? dicamque decimum iſtum beatorum hominum chorum decimæ dragmæ inuentione ſignari: Sed poſteaquam ſermo noſter hucuſque peruenit, pauca quædam de immenſa huius Virginis excellentia,à te audire,tecumque conferre, gratiſſimum mihi foret.

Ang. Libentiſſimè, nam poſt laudes, quas Deo perſoluimus, nil magis delectat Angelos, quàm hanc celſiſſimam Dominam laudare,alioſque ad ipſius extollenda præconia,vtcunque poſſumus prouocare, ſed ne obiter, vel in puncto id præſtare cogamur,infrà commodiùs, & paulò prolixiore exequemur ſermone, nunc eorum, quæ de vtraque natura in communi adhuc dicenda ſuperſunt,altiora aliqua,& feruentiora dicere proſequamur.

Deiparā Virginem laudare ſummè delectat Angelus, ſemperq; cupiunt eam ab omnibus laudari.

NATVRA HVMANA DIVINAE VNITA, Angelicam ſupergrediens, illius efficitur Domina.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ho. OPtimum conſilium,& Angelica prouidentia dignum, & mihi quoque perutile,ne fortè ea,quæ nunc de hac materia in promptu habeo,aliorum interpoſitione exciderent. Dixiſti tranſitum me feciſſe de natura ad gratiam, nunc de gratia ad naturam redeo, eamque,ſecluſa gratia, Deo magis appropinquare,quam veſtram,aſſerere nihil dubito; & pro me indiſſolubile habeo argumentum.

Totum hoc caput inſigne admodū eſt, exaltationē noſtræ naturæ ſuper Angelicam clara luce demonſtrans.

Ang. Propone tam efficax argumentum, ſed caue verba ſine ratione iactare,neuè incongruè loquaris aduerte,nā ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis, & ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Ho. Poſtquam Vnigenitus Dei, Vnigenitus Virginis factus eſt natura noſtra, quæ loco tam humili proſternata iacebat, vt deſcendere non poſſet inferius, quæ remotiſſimè à ſuo diſtabat Conditore,ſic creata eſt,ſic inde exaltata proceſſit,ſic ad illum propè acceſſit,& ſtetit,vt illi intimè vniretur,fieretq; homo Deus, & Deus homo: Quid maiore dignum admiratione, quàm humanam cernere naturam totam omnino cum ſuo Creatore coniunctam,vt totus homo Deus euadat? O incomparabilis humani generis dignitas,non me capio præ lætitia, quod illa maieſtas naturam ſuam quodammodo exinaniens,in natu-

naturam meæ carnis, & ſanguinis ſuperueniat,eamque totam in ſeipſa diuinam reddat. Conclude Angele, ſi Deus homo, & homo Deus, quid homine propinquius Deo?

Ang. Totum te video diuini amoris igne ſuccenſum, propterea te non ſic, vt par eſt, diſtinctè loqui non miror;nam ſicut deuotionis feruor verba ſuggerit incompoſita, ſic amoris affectus ſententias minùs diſtinctas,ignita tamen oratione inuoluit. In primis, vbi dicis, hominis naturam magis Deo appropinquare, quàm Angeli, ſecluſa gratia, addere oportebat (ſed non omni) namque naturarum vnio, non natura,ſed gratia,facta eſt; deinde,etſi non malè, meliùs tamen diceres,ſi hic homo Deus, quid hoc homine propinquius Deo? Chriſto homine demonſtrato.

Eruditus, ac feruens hominis diſcurſus.

Ho. Verba ex amore ſuggeſta,& deuotionis ſale conſperſa,quantumuis incompoſita,gratiora ſemper Deo fuere,quàm compta Oratorum verba, quàm concinna, grauiſque oratio humanæ eloquentiæ nitore refulgens; ſed tu vltra meritum, amantem voces, amoris expertem, deuotum dicis,deuotione carentem. Quod autem admones, illi particulæ, ſecluſa gratia,me addere debuiſſe (ſed non omni) quid hoc opus erat? gratiam vnionis ſupponimus, tanquam fundamentum, & cauſam propinquitatis,& affinitatis Dei cum homine, deinde,non fieri,ſed factum,non efficientiam, ſed effectum conſidero, gratia,& miraculum fuit,Deum hominem fieri,ſed compoſitum hoc diuiniſſimum, Deus homo, res naturalis eſt, naturaliterq; ſubſiſtens.

Quod autem dixi, ſi homo Deus,& non potiùs, ſi hic homo Deus, hoc parum intereſt, ſed huic homini Deo homo magis, quam Angelus appropinquat, eadem quippe natura, qua cæteri conſtant homines, conſtat hic homo Deus. Si hic homo Deus; ergo hic homo omnipotens, æternus, infinitus,prima cauſa,primus motor, ſummus rerum artifex, hic homo ex nihilo omnia condidit, & te quoque cum illis: Si Deus homo, igitur quicquid eſſentialiter conuenit homini, & Deo pariter conuenit. Mutua hæc inter Deum, & hominem vtriuſque naturæ proprietatum communicatio per totam deinceps æternitatem permanſura, hominis ſupra Angelum atteſtatur exaltionem. Memini te dixiſſe, naturam noſtram non eſſe cum veſtra comparabilem, quod modo pluſquam verum eſſe concedo. Natura enim humana dum vniretur diuinæ, vale dixit

Ange-

Angelicæ, nunquam ad æquale cum illa conſortium reditura.

Ang. Quod humanæ contigit, noſtræ quoque naturæ contingere potuiſſet, ſi quemadmodum illam, noſtram ſibi aſſumere voluiſſet.

Ho. Rectè, ampliùs ergo & perfectiùs cum illa, quàm cum veſtra, magnificauit & mirificauit Dominus miſericordiam ſuam, namque cum vtraque natura aſſumptibilis eſſet, repudiata Angelica, aſſumpſit humanam.

Ang. Quis te docuit iſta, quorum intelligentia olim captum fugiebat Angelicum?

Ho. Ille, qui docet omnem veritatem ſermone ſine voce prolato, vt *innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.*

Ang. Multa nobis innotuere ad plenum ante nō cognita, Apoſtolis prædicantibus. Sed ſecluſo incarnationis myſterio, Deus quid vltrà debuit nobis facere, & non fecit?

Multa Angeli, Apoſtolis prędicãtibus, didicere.

Ho. Imò eo comprehenſo, quid vltra, non dico debuit, ſed potuit nobis facere, & non fecit? quandoquidem in hoc opere diuiniſſimo præſcriptum ſit non plus vltra omnipotentiæ Dei: O quàm vltra Angelicam humana euecta eſt natura, etſi aliquando ſorores ambæ fuere, & quidem humana ſoror paruula vbera non habens gratiarum lacte manantia, Angelica verò ſoror maior vbera præmonſtrans diuinorum chariſmatum lacte tumentia. Sed alternæ ſunt vices rerum, in melius aduerſa, in deterius optima flectuntur, ecce ſoror minor maiorem ſupergreſſa, illius Domina effecta eſt, tanto maior nunc ſurſum, quanto minor ante deorſum.

Ang. Statim atque nobis innotuit naturam veſtram Angelorum Dominam euaſuram, tanta quidam ex noſtris indignatione exarſere maligni, tanta eos momordit inuidia, vt ab eo potius, qui ſe condiderat, rebellarent, quàm eundem in homine adorarent, reliqua verò cæleſtium ſpirituum multitudo Filium Dei, filium hominis aliquando futurum, lætanter, & humiliter adorauit.

Reuelato Angelis incarnationis myſterio, eorum quoſdã quãta momordit inuidia.

Ho. Illius verò vbera (ſermonem proſequor interruptum) exhauſta aliquando, & arida, tantam ex diuinitatis fonte gratiæ plenitudinem hauſtu hauſere plenario, vt de ipſa plenitudine acceperint vniuerſi.

Ang. Sub hac vniuerſitate hominem tantùm, an Angelum quoque comprehendis?

Ho. Vtrun-

Grata per Chriſtum tã in Angelo, quam in homine eſt operata.

Ho. Vtrunque, gratia enim per Chriſtum in vtroque eſt operata, in hoc, vt ſurgeret; in illo, ne caderet; in iſto, vt ſanaretur, in illo, ne vulneraretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmare non ſiuit, illius eſca, iſtius medicina.

Ang. Gratia per Chriſtum fuit Angelo collata, nõ à Chriſti morte dependens, ſed in ipſius Chriſti hominis charitate fundata.

Ho. Sat eſt, quod quicquid boni habetis, ex illius defluxit vberibus, veſtram namque electionem, vocationem, necnon & auxilia omnia excitantia, adiuuantia, ſufficientia, & efficacia, omne denique meritum, omnemque gratiam, & gloriam vobis ille promeruit.

SVPEREXCELLENS DIGNITAS, ET *exaltatio naturæ humanæ ſuper Angelos, indicat quantus fuerit circa illam diuini amoris exceſſus.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Ang. QVid plura? Quid vltra conaris oſtendere, quod ego expertus ſum, & in ipſo diuinitatis ſpeculo fulgore gloriæ irradiatus intueor? Habetis vos (gloriamini) vnum hominem Deum, qui eſt caput hominum, & Angelorum, ſed nòn habemus nos vnum Angelum Deum, quare hoc? congruentiæ multæ, cauſa nulla aſsignari poteſt, niſi quia ſic placitum fuit ante illum, cui eſt pro ratione voluntas.

Superexcellens dignitas hominis ſupra Angelos. Matth. 11.

Ho. Vtique hic audio Saluatorem meum dulciſsimum, humilium, & ſimplicium amantiſsimum, præ nimia cordis lætitia exultabundo clamore dicentem: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis:* O beata paruulorum ſimplicitas, & humilitas, ſecreti concilij ſummi Regis conſcia. O iterum felix deiecti hominis ſuper Angelos celſitudo, ò beatiſsima humilium exaltatio: *Depoſuit enim potentes de ſede, & exaltauit humiles*; *ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Iure optimo natura noſtra, cuius deiectionem, vilitatemque Dominus miſeratus aſpexit, nunc in hac ſua ſuis meritis inſperata exaltatione, exclamare poteſt.

Luc. 1. 1. Reg c. 12.

Quod

Quod me dignatus in altum
Erigere ex humili celſam, cunctiſque beatam
Gentibus, & ſeclis voluit Deus æquus haberi.

Iuuencus lib. 1. euang. hiſt.

Quis enim ignorat, nullam ex parte noſtri tantæ exaltationis cauſam extitiſſe? Genus hominis, genus Dei aliquando futurum, non quia dignè emeritum, ſed quia benignè promiſſum, anxiè expectabatur ab homine, quod iam aſſequuti, ipſiq. Deo generis affinitate coniuncti gaudemus, & inſuper ſuperbimus, ſuperbia vtique ſancta, nobili mundanorum contemptrice, genus ergo cum ſimus Dei, nulla prorſus alterius generis creatura, & præſertim Angelica æqualem nobis cum Deo coniunctionem, aut habere, aut aliquando habitura præſumat extranea, non propinqua. Audi hominem dicentem, quod Angelus dicere nunquam poteſt, ſit frater meus, Dominus meus, & timorem Domini fratris vincit affectus.

Genus hominis genus Dei in incarnatione efficitur.

Ang. Quid habes? quis tibi contradicit? Pungiſnè, an compungeris? & ego huic veritati aſſentior. Natura ſiquidem veſtra magis Deo homini appropinquat, quàm Angelica, non quia excellentiùs condita, ſed quia excellentiſsimè reparata; nimia, & omni admiratione digna fuit illius ad vos inclinatæ maieſtatis dignatio; venit vniuerſitatis Creator, & Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo, vt hominem perditum repararet, ſibique ſtricto amoris vinculo colligaret.

Ho. Feruentiorem deuotionis affectum in præcordijs meis iterum excitaſti. O pietas Conditoris pro homine redimendo Redemptoris effecti. O indebita miſeratio, ò gratuita, & probata dilectio, ò inopinata dignatio, ò ſtupenda dulcedo, ò inuicta manſuetudo, Regem gloriæ, Dominum maieſtatis pro tam deſpicatiſsimis vermiculis crucifigi! Infinitæ ſunt diuitiæ bonitatis illius, ſed inter illas non habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyſſa illa conſiliorum Dei.

At hic nouus deuotionis affectus in præcordijs excitatus graue quoddam dubium ſecum trahit. Cum Deus ſit immutabilis, dixiſſetque aliquando ſe, quod hominem fecerit, pœnitere, quomodo nunc velut præteritæ pœnitentiæ pœnitens, non dedignatur fieri, quod ſe feciſſe pœnituit? ſi ſpiritum ſuum, tactus dolore cordis intrinſecus, haud vltra in homine permanſurum aſſeruit, quomodo nunc filium ſuum dilectiſſimum hominem fieri voluit? ſi olim Deus hominem ſuper

Graue quoddam dubium proponitur ab homine.

terram degere, iudicauit indignum, quomodo nunc ſuper ſydera exaltari, digniſſimum reputauit?

Nunquid Dominus tunc illud comminatus fuit, cum homo factus eſt ex meliore deterior, & minas poſtmodum retractauit, cum idem homo factus eſt ex deteriore melior? ſed hoc dici non poteſt; factus quidem eſt homo ex meliore deterior, ſed nunquam ex deteriore melior, niſi cum venit ille, qui in melius cuncta reſtituit. Quomodo ergo de Deo eodem ſemper immutabiliter ſe habente, hæc inter ſe tam diſſona dici poſſunt? quomodo pœnitentia cadit in eum, qui ſua infallibili prouidentia regit vniuerſa, & cuius eſt de rebus tam fixa ſententia, quàm certa prouidentia?

Solutio dubij.

Ang. Præterquam, quòd hìc acerbitas exprimitur peccatorum, quaſi eo vſque increuerit, vt Deum ipſum, qui ſæuit ſine ira, & iraſcitur ſine motu, ad iracundiam mouerit; hæc dicuntur de Deo non ſecundum affectum animi, ſed ſecundum affectum operis, ipſe enim manens ſemper idem, mutat opus exteriùs, voluntate immobili permanente. Dicas itaque pœnitudinem Dei eſſe mutandarum rerum immutabilem rationẽ.

Adhuc deuotiore ſenſu ſoluitur difficultas. Tunc iuſtitia, nunc amor de Deo triumphat. Sententias, quas tunc fulminauerat terribiliter comminando, nunc reuocat ſuauiter indulgendo. Itaque

Viciſſim Deus & amorẽ vicit, & fuit victus amore.

Vt Deus inſolito certamine vicit amorem.
Sic arte eſt ſimili victus amore Deus.

Propterea Deus ille ſummè olim terribilis, ante cuius conſpectum terra fugiebat, & Orbis, nunc captus, ac triumphatus amore, manens quod erat, factus eſt, quod non erat, & manens in ſe, eſt quodammodo egreſſus à ſe, vt in membris humanis placidiſsimè cunctis ſpectaretur amabilis, licet non teterrimo humani generis hoſti, imò ſummè illi inuiſus, qui per eum principatus ditione amiſſa, victus fremit, rabieque tabeſcit, ex captiuante captiuus, magis timidus, quàm timendus: ſed meritiſsimè hoc illi euenit, malorum omnium inuentori, cuius fraude, ac fallacia contigit infelix ille, & lachrymabilis primorum hominum caſus, tantarum ruinarum cauſa, & origo. Sed ille, qui de malis maiora nouit bona elicere, exitialem, funebremque caſum ſic in aliud commutauit extremum, vt accidiſſe, felicitatem dixeris, & honorem.

Ho. Nec deuotiore ſenſu, nec ſuauiore intelligentia mihi

hi ſolui poterat propoſita difficultas. O amoris vis, cui inuincibilis Deus ſe victum reddidit,& captiuum; Humanatum Deum (fiducialiter dicam) amoris triumphum, dicam amplius, amoris mancipium, dicam ſemel omnia, amoris prodigium. Noui hæc omnia acta eſſe propter hominem,qui & ipſe in ſua creatione dici potuit amoris ſuſpirium. Et propterea Eccleſia lætandum magis, quàm dolendum docet ob primorum parentum caſum, dum feſtiua, ac læta nimis præ gaudio, in hanc vocem lætanter erumpit. O felix culpa,ò certe neceſſarium Adæ peccatum, ad manifeſtandum ſcilicet ſummum Dei amorem erga genus humanum, & propterea additur. Quod Chriſti morte deletum eſt; mors enim Chriſti fuit ſumma amoris oſtenſio,& exhibitio.

Deus homo, amoris triũphus, amoris mancipium, amoris prodigium.

DE AMORE CHRISTI IN BENEFICIORVM erogatione, humana magis, quàm Angelica natura oſtenſo.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ang. Feruida hæc verba te omnino diuini amoris igne ſuccenſũ eſſe oſtendunt, nam ignitũ eloquiũ frigidũ pectus non capit: ſed talem ſemper Chriſtianũ hominem nimiũ dilectũ Deo conuenit inueniri, tot præuentũ bonis, tot gratijs fultum, tot muneribus auctum, tot beneficijs cumulatum,tot promiſſis allectum, vtpotè, hæreditario adoptionis iure cæleſtis regni diadamate coronandum; Et vt de reliquis taceam, quantùm ipſa dilecto præſtita beneficia eiuſdem dilecti cor ad amantem redamandum inflamment, ſentiri quidem poteſt, explicari non poteſt; ſi enim benefacere inimico, eſt carbones ignis ſuper caput eius congerere,quid benefacere dilecto iam amoris vicem ei, qui ſe diligit, rependenti? certè nihil aliud erit, quam in eius corde inextinguibilem amoris ignem accendere,accenſumque fouere. His adde, amantis beneficia dilecto eſſe amoris indicia, & maiora quidem maiorem atteſtantur amorem,quòd ſi maxima ſint, & maximo cum labore exhibita,in amorem totaliter effuſum ipſum oſtendunt amantem. Duo autem ſunt beneficiorum genera humanæ naturæ exhibita, quæ maximè erga hominem diuinum proteſtantur

Duo beneficiorum genera homini exhibita.

amorem,quædam pro nihilo, & de nihilo; quædam pro nihilo, ſed non de nihilo.

Ho. Vtinam ſentiat affectus, quæ à te meus percipit intellectus; Attamen nouam hanc beneficiorum partitionem non ſatis capio; hoc vnum ſcio,me de nihilo factum,ſed non de nihilo redemptum: me de nihilo Conditoris voce extractum,ſed de peccato Redemptoris morte retractum.

Ang. Beneficia pro nihilo,& de nihilo ſunt ea, quæ gratis homini exhibentur, ſine merito recipientis, & ſine labore Dei conferentis, qualia ſunt creationis opera, de quibus ſcriptum eſt: *Ipſe dixit, & facta ſunt,ipſe mandauit,& creata ſunt.* Beneficia verò pro nihilo, ſed de nihilo, ſunt ea, quæ gratis quidem exhibentur,ſcilicet ſine merito hominis,ſed non ſine labore Dei,Dei inquam humanati ab ortu ſui ad occaſum vſque pro homine laborantis. Solis autem beneficijs pro nihilo,& de nihilo nunquam homini diuini amoris immenſitas innoteſcere potuiſſet; Quid enim dicebat homo creatus, & ingratus? Gratis quidem conditus ſum, quod certè merere non potui,cum non eſſem,quod ille non feciſſet, niſi me dilexiſſet, ſed ſine auctoris grauamine; gratis conditus agnoſcebat amorem, ſed quia ſine auctoris grauamine, pietatis, & amoris illum latebat immenſitas. At verò beneficijs pro nihilo,& non de nihilo,gratis videlicet exhibitis, ſine merito hominis, ſed non ſine Redemptoris labore, & labore maximo ipſe homo amorem,& amoris magnitudinem conuictus agnouit.

Mal. 148.

Quapropter ſi ſtatus ille innocentiæ perduraſſet,& homo ex terreſtri ad cæleſtem felicitatem,non exutus carne,ſed ſuperindutus gloria translatus eſſet, agnouiſſet quidem amorem, ſed amoris immenſitas latuiſſet: Amplius, ſi ſtatu illo durante,Filius Dei veniſſet ad homines factus homo, vt homines Deos faceret,eos, glorificando, adhuc immenſa illa amoris magnitudo homini ignota fuiſſet.

Ho. Admirabilia ſunt hæc,& Redemptoris amorem ſummopere conteſtantia, ſed quid ſi Chriſtus in ſtatu illo ſic impaſſibilis, & immortalis homini reuelaſſet, quod etiam paſſibilis, & mortalis mortem pro homine ſubiturus adueniſſet, ſi neceſſitas vnquam afforet?

Illa ſolummodo beneficia, quę ſanguine Redemptoris ſunt impēſa, diuinā erga hominē manifeſtāt amorē.

Ang. Neque ſic certior factus profundam illam diuini amoris penetraſſet abyſſum. Illa igitur beneficia,illa ſolummodo, quæ tanto Redemptoris diſpendio, & grauamine homini

mini ſunt impenſa, diuinum prorſus manifeſtant amorem. Neque etiam nos prioris generis beneficijs agnoſcere poteramus, quanto Deus humanum genus proſequeretur amore, niſi cum eum vidimus carne indutam, innumeros ſine ceſſatione labores (ò quantum laborauit ſuſtinens) iniurias, paſsiones, irriſiones, atque tormenta perferre, crucemque ſubire pro homine, obſtupuerunt Hebræi eum videntes pro morte Lazari lachrymantem, atque dixerunt, ecce quomodo amabat eum; ſed alio nos profundiori fuimus ſtupore detenti, cum eum vidimus cruci affigi, atque amariores morte dolores interim lenta morte ferentem, ſicque exhauſtum ſanguine pro homine morientem; ecce quomodo amabat eum, obſtupefacti Angeli exclamauimus omnes, omnibus anteà incomperto ardentiſsimi huius diuini amoris arcano: & nos in eius amore primos eſſe credentes, comperimus fuiſſe ſecundos, ſicque minor maioris primatum abſtulit in amore.

Ho. Pretioſa Angeli confeſsio, hominique gratiſsima. Sed quid intereſt inter hæc duo beneficiorum genera ad obligandum hominem, & gratum Deo reddendum?

Ang. Quod inter ligneas, ferreaſque catenas, quòd illę facilè, hæ difficillimè confringuntur.

Ho. Iuxta propheticum dictum, *catenas ligneas contriuiſti, facies pro eis ferreas*; creationis beneficijs, quaſi quadam catena, ſed lignea, ſed fragili Deus ligauerat hominem; rupit hanc, & aufugit perditus homo ei, qui ſe condiderat ingratiſsimus; ſed rurſus pientiſsimus Deus ferrea eum catena ex redemptionis beneficijs, velut anulis fabricata, cœpit, conſtrinxit, retinuit, reuocauit nunquam in poſterum diſſoluendum. O diuini amoris nexus, morte duriores, tartareis vinculis fortiores, inſolubiliter Deo homines colligantes. Ferreis his vinculis ille, qui olim fractis ligneis, ſolutus abibat, iterum captus, iterum ſed dulciter, ac ſuauiter vinctus exclamabat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Quàm multos legimus, diuitiarum copias, prætioſa, ac deaurata corporis indumenta, honoris culmina, & pro-

Ierem. 28.

Roman. 8.

& proſpera quælibet contempſiſſe pro Chriſto; & plures alios diuino inſtigante amore rotas carnificum, verbera, ignes, carceres, beſtias infracto animo item pertuliſſe pro Chriſto; potuit anima tormentorum vi auelli à corpore, ſed à Chriſto minime ſeparari.

O beneficia Redemptoris ſanguine parta, felicia reorum vincula, amoris vehicula, captiuos ad libertatem filiorum Dei vehentia, quomodo longinquos ad patriam reuocaſtis? quomodo ad auctorem ſuum profugos adduxiſtis? reconciliaſtis, veniam impetraſtis, ac pacis fœdere connexiſtis? O plenum prorſus omni ſuauitatis dulcedine videre hominem hominis conditorem, pro homine, quem condiderat, morientem; quomodo quis inſolubilibus hiſce amoris vinculis, ſolui vnquam poterit, multipliciter colligatus? & nunc ſuper hæc omnia quis non videt, diuini amoris experimentum maius nos habere, quàm Angelos?

Maius amoris experimētū habet homo, quàm Angelus.

Ang. Maius certè habetis, nam gratuita vobis collata, ipſi Deo ſui ſanguinis pretio conſtant; quæ verò nobis, nihil, ex mera enim Dei libertate ſunt nobis exhibita, ſine vllo largitoris grauamine, licet in ipſius charitate fundata.

Ho. Itaque vobis bona veſtra Deus viuens, noſtra verò nobis contulit Deus mortuus. Quid mirum eſt, Deum in æternum viuentem ſolius voluntatis imperio quibuſcunque placet, ingentia bona conferre? Sed hoc eſt omnium admirabilium ſummum, ipſum Deum immerſo ſuæ vitæ diſpendio pretioſa quælibet nobis contuliſſe immeritis.

Ang. Et per conſequens plus homo, quàm Angelus, Deo debet.

Ho. Verum dicis, & ego hanc agnoſcens veritatem, exclamare multoties cogor. Domine, quia me feciſti, amori tuo totum meipſum debeo, quia me redemiſti, debeo meipſum totum, quia tantum promittis, debeo meipſum totum, imò tantum debeo amori tuo pluſquam meipſum totum, quantùm tu es maior me, pro quo dediſti teipſum. Sed hinc aliam quoque veritatem colligo, quòd ſcilicet homo peccans, & amittens gratiam, maiorem Deo iniuriam facit, quàm Angeli, cum primùm peccantes gratiam amiſerunt; quia illi perdiderunt, quod nihil Deo conſtabat, homo verò quod ipſi Deo propria conſtat vita; loquor autem de homine peccante poſt primum Adæ peccatum, quia tunc Saluatoris paſsio ſuam circa homi-

Quo ſenſu, homo peccās, & amittens gratiam, maiorē Deo iniuriā faciat, quam Angeli desertores.

hominem efficaciam cœpit habere; Vnde gratia pœnitenti, & cunctis retrò poſteris collata meritoriè ex præuiſa Redemptoris morte defluxit, & hanc arbitror eſſe cauſam, quare Chriſtus dicatur Agnus occiſus ab origine mundi, quia ex tunc illius paſsio in mundo efficaciam habuit; & hinc etiam ſequitur, gratiam, quam Deo homini mox condito, vel dum eum conderet, infudit, nec fuiſſe ex futura Chriſti morte pendentem, ſed potius ex illius liberalitate manantem, & conſequenter grauius cæteri peccant homines, & plus offendunt Redemptorem, emeritam tanti ſanguinis gratiam deperdentes, quàm ille, deperdito quod acceperat, offenderit largitorem, licet inextimabilis ſit gratiæ hinc inde iactura.

QVAM MVLTIPLICITER HVMANA natura Deo præ Angelica vniatur, oſtenditur, ac ſublimato propterea homine, inferiori amoris gradu Angelum remanſiſſe conuincitur.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Ho. Sed vltra in amore progrediens, tres ego cum homine vniones Deum effeciſſe contemplor, quæ erga genus noſtrum maximum ipſius Dei atteſtantur amorem. Prima eſt totius Trinitatis cum anima rationali: ſecunda vnius tantùm perſonæ, Filij nempè Dei cum ſingulari Chriſti hominis humanitate. Tertia totius Chriſti Dei, & hominis cum homine quolibet fide initiato, & eiuſdem Chriſti carnibus paſto, ſanguineque potato. Tres Dei cũ homine vniones.

Harum trium vnionum prima eſt vtrique naturæ communis, reliquæ verò duæ ad Angelum nihil pertinent, ſed ſunt ſolius hominis propriæ; imò & prima quatenus per affectum claritatis animam Deo vnit, tanquam ſponſam Dilecto ſuo, nec ad Angelum ſpectat, qui nunquam Dei ſponſa vocatur.

Ang. Ne quid nimis. Vnio hæc nedum eſt relatio ſponſi ad ſponſam, ſed etiam patris ad filium; Quamuis ergo Deus non referatur ad Angelum tanquam ſponſus ad ſponſam, refertur tamen ad ipſam, tanquam pater ad filium, eſt enim Angelus, ſicut & homo, filius Dei adoptiuus, & natura primogenitus, licet primogenita noſtra, non meritis, ſed gratia ad vos tranſtulerit amor.

Ho. Ado-

Ho. Adoptiua filiatio vtrique naturæ communis eſt, ſed gratuita animæ cum Deo deſponſatio ſingularis, & quantò carior eſt amor, quàm honor, tanto plus gaudet Deus dici ſponſus, quam Pater. Sed ſi parua hæc, & commune aliquid cum Angelis habere videtur, ecce alia diuini Verbi cum carne incomparabilis vnio, in qua completum eſt gaudium collium æternorum, expletum eſt deſiderium naturæ noſtræ vnionem hanc ardentiſsimè ſuſpirantis, quæ velut amoris impatiens, & ex abundantia cordis ſæpè, & repentè prorumpens exclamabat: Oſculetur me oſculo oris ſui, quaſi diceret, gratias ago de oſculo manuum, quod ſubiectionem indicat, gratias de oſculo pedum, quod ancillarum eſt, & vtrique naturæ commune, ſed ſi cura eſt illi de me, non quieſco, donec oſculetur me oſculo oris ſui, accepi (fateor) potiora meritis, ſed prorſus inferiora votis, nec ſum ingrata, ſed amo, deſiderio feror, non ratione, pudor ſanè reclamat, ſed vrget affectio, ſuperat amor. His gemebundis clamoribus, hiſce lachrymis, atque ſuſpirijs motus, venit tandem dilectus, atque omnium gratiarum delibutus vnguentis, in ſecreto virginalis vteri cubiculo, diu deſideratum oſculum dilectæ porrexit, eamque ſibi nexu indiſſolubili copulauit.

Deſideriũ naturæ humanæ hypoſtaticam vnionem ardentiſſimè ſuſpirantis.

Ang. Dixiſti in hac vnione completum fuiſſe gaudium collium æternorum, hoc eſt ſanctorum Angelorum, quòd quàm verum ſit, inde patet, quòd in egreſſu ſponſi de thalamo ſuo, vno euangelizante nuncio natum in carne Deum, mox multitudo militiæ cæleſtis aduolans, conſono in laudem creatoris ore prorupit, vt & ſuum gaudium mortalibus propalaret, & obſequij deuotionem Chriſto impenderet, eiuſque ſponſæ deferret honorem. Gaudeamus (tunc Angeli iubilo inenarrabili ſeinuicem hortabantur) *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.*

Ingens gaudium Angelorum id egreſſu ſponſi de thalamo.

Ho. Sed non hìc finem præclara amoris facinora habent, alia, & quidem maiora amoris argumenta ſuperſunt. Non ſatis fuit Filio Dei hominum amantiſsimo, hominem aſſumpſiſſe, niſi modum etiam inueniret, quo ſingulis vniretur hominibus, non gratuitè tantummodo quoad animam, ſed verè, & realiter quoad corpus, dum in auguſtiſsimo Euchariſtiæ ſacramento ſeipſum apponit fidelibus manducandum, vbi caro hominis manducantis in Chriſti carnem conuerſa, caro efficitur

tur

tur Saluatoris; & hoc, ad maiorem amoris erga nos expreſſionem, & ampliorem noſtri generis excellentiam, non Angelorum, ſed hominum miniſterio exequitur Chriſtus. O verè excellens, & ſublimis, omnique ſub Deo dignitate præſtātior ſacerdotum dignitas; hæc vna, dignitatum omnium, ſiue terreſtrium, ſiue cæleſtium culmina ſupergreditur.

Ang. Excipe incomparabilem Matris Virginis dignitatē.

Ho. Excipio, licet cum illa quoque ſacerdotum dignitas pia quadam æmulatione contendat; Quamuis maius ſit abſolutè eſſe Matrem Dei, quàm ſacerdotem, quia Chriſtus plus accepit à concipiente Matre, quàm à conficiente ſacerdote: ſed ſiue Virginis, ſiue ſacerdotum maiorem dixeris dignitatem, vtraque noſtra eſt, & vtranque in homine Angelus veneratur. Sed ſi placet, chariſsime cuſtos, vltra quæſo progrediamur, rimemurq. ſi licet, ardentiſsimum Saluatoris hinc abeuntis amorem.

Sacerdotum dignitas cum Virginis dignitate pia quadam æmulatione contendit.

Ang. Placet, & gratiſſimum mihi eſt, te hiſce amoris ſtimulis punctum inhiare ſemper ad vlteriora progreſſum, placet, inquam, te ineſtinguibili amoris ſiti ad amoris fontem currere.

Ho. Ediſſere mihi quæſo, quid neceſſe fuit, Chriſtum ſe hìc velatum relinquere, hinc viſibiliter diſceſſurum?

Ang. Vt peracta redemptione, ad Angelos euolaret, & ab hominibus non recederet.

Ho. Sed eſto, vtrobique ſimul eſſe non poſſet, ita vt, vel cælo, vel terræ deeſſe neceſſariò oporteret, quid potius elegiſſet?

Si oporteret Christum, vel cælo, vel terræ deeſſe, quid potius eligeret?

Ang. Amor ille, qui ad homines eum venire compulit, ne perderet, quos creauerat, eundem cum hominibus cogeret remanere, ne admitteret, quos redemit. Deinde boni paſtoris eſt oues in tuto poſitas fidenter dimittere, & illis ſolerter adeſſe, quæ à lupis rapi, ac diſpergi periclitantur; ſed bonus vtique paſtor Chriſtus eſt, qui in montibus lupis, ac leonibus inacceſſis, cētenas vna minus dimiſit oues, innumeras ſcilicet Angelorum ſpecies, & naturam veſtram, quæ ſicut ouis perierat oberrando, quæſiturus aduenit, eamque inuentam, ex luporum rabie erutam, ſua ſemper præſentia fouet, ac tuetur, quæ præſentia ſi ab vna ouium parte eſſet ſubtrahenda, eam potius ab illa, quam ab iſta ſubtrahi pateretur: Namque ſi ille cum adſit, qui eſt Paſtor, ſol, cibus, medicina, tot homines nihilomi-

nûs pereunt, tam multi cæcutuint, plures ſunt imbecilles, quàmplurimi infirmantur, quid Paſtoris, & lucis præſentiâ deſtituti? quid huiuſcemodi cibi, ac medicinæ inopia laborantes agerent Chriſtiani? Denique tolle hoc ſacramentum de Eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas? & populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum diſperſus; per hoc ſtat Eccleſia, roboratur fides, viget, & viret Chriſtiana religio. Hoc totius vitæ, paſſionis, ac mortis Redemptoris memoriale mellifluum, atque dulciſſimum, hoc Eccleſiæ militantis dotalitium diuinum ſpirans amorem, hoc denique futuræ gloriæ pignus.

CELEBRAT ANGELVS NIMIVM ERGA hominem diuini amoris exceſſum, ab immortali Deo in ea, quam aſſumpſit, mortalitate oſtenſum.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Ang. VT ſemel intelligas, quantùm pro homine, hominis conditor factus homo in amore exceſſerit perferendo, diligenter attende. Igitur Chriſtus, diuinum pectus diuino ſollicitante amore, & ipſe propterea amoris impatiens, ab ipſis natiuitatis ſuæ primordijs, amoris iter aggreſſus, exultauit, vt gigas ad currendam viam, nec vnquam ab incepto deſtitit curſu, donec arreptum abſolueret iter, metamque contingeret, cunctas interim temporis moras continuis laboribus, & ærumnis; pro vobis inſumens, non neceſſitate, ſed voluntate, non tantùm pro debito ſufficienter ſoluendo, quantum, vt amori ſatisfaceret, plura vltra debitum expoſcenti: Ipſe enim (ſi ſufficiens pro debito attendatur ſolutio) non plus meruit in cruce moriens, quam in ſtabulo vagiens, ſed ſingulis actibus, & pluribus titulis ſemper meruit idem totum, & quod vno potuit, pluribus voluit promereri.

Chriſtus quoad ſufficiētiā non plus meruit in cruce moriēs, quàm in ſtabulo vagiens.

Ho. O inſignis, & abſque pari diuini amoris oſtenſio, & exhibitio: Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic ſimile? O nimium, & ſi dici poteſt, plus vltra nimium diuini amoris exceſſum, quod potuit vno, & quidem leui, voluit pluribus, & grauibus promereri. Ieſu bone, ſi naſcens me redimis, vt quid vis moriens me redimere? ſi me lachrymis abluis, vt quid me ſanguine vis abluere? certè, vt mihi oſtenderes quan-

quantum me diligeres, nonniſi moriendo, cum aliter poſſes, me á morte liberaſti, vt non tantùm pietatis impenderes beneficium, verum etiam charitatis monſtrares affectum. Domine Ieſu libenter te audio regnantem in cælis, libentius naſcẽtem in terris, libentiſſimè crucem, clauos, & lanceam ſuſtinentem. Amator fideliſsimè, quò tua deſcendit humilitas? quò tua deflagrauit charitas? quò proceſſit pietas? quò excreuit benignitas? quò tuus attigit amor? Quid vltra pro me, non dico debuiſti, ſed potuiſti facere, & non feciſti? me de poteſtate tenebrarum, & dura dæmonis ſeruitute liberaſti, ex mancipio ſatanæ, filium effeciſti, filium, & hæredem, hæredem quidem Dei, cohæredem autem tui; & cum hæc omnia vno, vel leui labore præſtare potuiſſes, imò & præſtitiſſes, eadem tamen pluribus, & immenſis laboribus, toties præſtitiſti quoties laboraſti. Et qui me tantùm dicendo, & ſemel dicendo, feciſti, in reficiendo, & dixiſti multa, feciſti mira, pertuliſti dura, nec tantùm dura, ſed etiam indigna.

Chriſtus ex diuini amoris abundantia, quod potuit vno, & leui labore, voluit pluribus, & grauibus promereri.

Chriſtus idẽ totum, quod promeruit, toties præſtitit, quoties laborauit.

Ang. Miſericordia excedit opus, & modus miſerendi miſericordiam ſuperat. Quid enim miſericordiùs intelligi valet, quàm quod peccatori æternis ſupplicijs deputato, & non habenti vnde ſe redimat, Deus Pater dicat: Accipe filium meum, & da eum pro te, & ipſe filius roget; tolle me, & redime te? Quinimo tanto plus, quàm vos debeatis, Chriſtus pro vobis ſoluit, quantò exiguam guttulam pelagus excedit immẽſum; & validius ſanè factum eſt donum libertatis, quam debitum ſeruitutis; ita vt, ſi æqua lance iniquitas peccantis hominis, & redimentis gratia librentur, non tantum oriens diſtat ab occidente, ſeu inferior ſuperatur infernus á ſummo cæli cardine, quantum pietas Redemptoris ſuperat malitiam peccatoris.

Hic certè exclamare licet. O fortitudo abſcondita: Hominem in cruce pendentem, ſuſpendere mortem æternam, humanum genus præmentem: Hominem in ligno confixum defigere mundum perpetuæ morti affixum. O celata poteſtas; hominem damnatum cum latronibus, ſoluere, homines damnatos cum dæmonibus. O virtus occulta: vnam animam emiſſam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno.

Ho. O amantis mortui viua amoris imago; ò amati non redamantis ingratitudo, ſcelere quolibet grauiùs punienda. O illi præ Angelis fortunati, quibus datum eſt, ſuorum corpo-

rum paſſione,ſanguine,membrorum diuiſione,oſſiumque confractione, amanti tam dira pro amatis perpeſſo, amoris rependere vicem. O iterum illi, quoque beati,qui adhuc mortali carne circundati, crucifixo cruci affixi ſunt, dolori eius condolentes,amori eius congaudentes,ſanguinem eius bibentes,carnem manducantes, crucem amplexantes, vulnera lingentes,& per latus apertum lancea, ad cor eius ſuperdulciſsimum intrantes, eique ſe clauo æterni amoris inſeparabiliter conclauantes.

Ang. Et nunc Redemptori veſtro,& noſtro,etiam nil gratius eſſe poteſt, quàm frequens repetitio, & nunquam intermiſſa eorum, quæ paſſus eſt, recordatio. Olim Deus illi duræ ceruicis populo, iam prauitate magis, quàm vetuſtate conſumpto præcipiebat, vt quæ ipſe fecit Pharaoni, in cordibus

Deut.7. ſuis indelebiliter exararent,videlicet, *plagas maximas, ſigna, atque portenta,manumque robuſtam,& extentum bracchium.* Nunc autem non minaciter præcipit, ſed carè, & amanter expoſcit,iugem, viuacemque ſuæ mortis, ſuæque paſſionis cordibus veſtris infixam vigere memoriam. Vos, inquit,ò meo redempti ſanguine, recordamini plagas maximas, non quas feci, ſed quas paſſus ſum, recordamini meorum vulnerum ſigna,& amoris portenta, manumque robuſtam vtramque clauis perforatam,atque extenta pro vobis in cruce brachia.

Ho. Ita eſt,ſed vix tamen hodie inuenitur, qui talia corde recogitet; ò execrabilis noſtra, & mea præſertim ingratitudo,quis credet me pati, me mori velle pro Chriſto, qui nec eius paſſionem, nec mortem ſaltem corde retineo? Si non in paſſione ſocius, quomodo in conſolatione collega? ſi non compatior,quomodo corregnabo? Quomodo ſperare potero me participem fore gloriæ triumphantis, qui nec pugno,nec pugnantem ſequor nec (quod turpius eſt) certamen recolo prælíantis.

Ang. Dignum ſanè eſt, ſalubrè, atque honorificum Chriſtianis, paſsionem Chriſti reuerenter venerari, amanter amplecti, & fortiter imitari. Sed vnde putas tanta hodie inter vos in paſsione, ac tribulatione defectio, impatiens admiratio,murmuratio,temerariumque iudicium? niſi quia paſsionum Chriſti, ac tribulationum immemores euaſiſtis? Sed ſi vultis aduerſa cuncta æquanimiter ferre, & quæque triſtia

Hebr.12. infractis animis tolerare, *Recogitate eum,qui talem ſuſtinuit à pecca-*

à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Et tu fili, recordare paupertatis Chriſti, abſynthij, & fellis, hæc enim in corde tuo recolens, quouis tentationis pondere, ac tribulationis grauamine preſſus, in Deo ſemper ſperabis.

ROGATVS ANGELVS PROFVNDA Dominicæ Paſsionis myſteria homini meditanda proponit.

CAPVT VIGESIMVM.

Ho. NOuam, & feruentiorem amoris flammam in corde meo te dulciter excitante, ardentiori ſentio me deſiderio inflammari, vulnera Redemptoris frequentiùs deinceps, & attentius recolendi. Quapropter, ſi aliqua principalia Dominicæ Paſſionis puncta ex Euangelio decerpta mihi meditanda proponeres, gratiſſima mihi forent.

Ang. Gratius eſt mihi rogata facere, quàm roganti accipere quod rogat. Hæc igitur ſummatim capita, non humana ſapientia turgidis, ſed humilibus profutura, in nomine dilecti amore magis, quam dolore in Cruce languentis, adnota.

1 Ieſus peracta cum diſcipulis cœna, ſimul cum illis in ortum Gethſemani, ſuæ ibi paſſionis primordia relicturus ingreditur.

2 Ibi imminentium tormentorum, & mortis atrocitatem iam in corde præſentiens, coram tribus diſcipulis expaueſcit, & ad mortem vſque triſtatur.

3 Qui vndiq; vallatus anguſtijs, vt à ſe calix paſſionis tranſeat, Patrem tribus vicibus orat, eius tamen beneplacito ſe totum committens, non mea inquit, ſed tua voluntas fiat.

4 Cui prolixiùs tertia vice oranti apparet Angelus, eumq. multiplici mortis dolore circundatum in agone confortat.

5 Vigilare, & orare, ne in tentationem incidant, non ſemel diſcipulos admonet; ſed illi, grauatis oculis, reprehenſi quoque dormitant.

6 Diræ mortis apprehenſione correptus, præ nimia cordis anguſtia ſudat Chriſtus, & ſudor eius non humor, vt aſſolet, aqueus, ſed guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

7 Ad mitem Chriſti vocem dicentis, Ego ſum, qui eum quærebant,

rebant, & comprehendere ſatagebant, retro diuina reſpondentis virtute impulſi,cecidere retrorſum.

8 Iudæ oſculum ſe tradentis inclinatus amicabiliter excipit, Amice, inquiens, ad quid veniſti? oſculo tradis Filium hominis?

9 Irruente turba in Chriſtum, feruens Chriſti diſcipulus quendam ex aduerſarijs in capite, arrepto gladio percutit; quem pius Magiſter, redarguto diſcipulo, tacto vulnere, reſanauit.

10 Deinde inimicis ſe capiendi facultate conceſſa, illis verbis. Hæc eſt hora veſtra,& poteſtas tenebrarum, capitur, ligatur,percutitur,trahitur,multiſque afficitur contumelijs.

11 Sic vinctum adducunt ad Annam, à quo tumidè interrogatus, mitè, ac modeſtè reſpondet, pro qua reſponſione, quaſi malè loquutus,in faciem cæditur.

12 Vbi dum falſum aduerſum eum teſtimonium quærunt, plures falſitatis teſtes, falſum contra ipſum teſtimonium dicunt,ſed eorum teſtimonium nec conueniens erat,nec ad eum damnandum ſufficiens.

13 A Caipha poſtmodum, ſi Filius Dei ſit, adiuratus,ſe Filium Dei eſſe fatetur, ſeque à dextris virtutis Dei ſedentem, atque in nubibus venientem cunctos fore viſuros.

14 His auditis Pontifex,zelum ſimulans, ſed odio, rabieque tabeſcens, ſciſſis veſtibus clamat, blaſphemauit, & nos blaſphemiæ teſtes, quid adhuc teſtibus indigemus?

15 Veneranda eius facies ſole quondam ſplendidior, colaphis, & palmis cæſa,liuore nigreſcit, & ſputis polluitur irridentium.

16 Petrus ter interrogatus,ter Dominum negat,ſed pio Saluatoris aſpectu in ſe reuerſus,foras exiens fleuit amarè.

17 Illuceſcente mane, cuncti Sacerdotum Principes, & Seniores populi,inito concilio,Chriſtum Præſidi tradendum decernunt, decretumque ſine mora perficiunt.

18 Iudam,agnita ſui ſceleris magnitudine, deſperata venia, pœnitet, & pretium referens, quod acceperat, laqueo ſe ſuſpendit.

19 Chriſtus interea ante Præſidem conſtitutus, accuſatur in multis, ſed ipſe nihil, Iudice admirante, pro ſui defenſione reſpondet.

20 Se nihilominus alterius regni extra huius mundi limitem

tem conſiſtentis, Regem eſſe, Præſidi de hac re interroganti reſpondet, ſeque veritatis teſtem in hunc mundum, natum hominem aduentaſſe.

21 Chriſtum ad ſe miſſum libenter videt Herodes, ſed cum ſignum, nec ſaltem verbum extorquere ab eo poſſet, ipſum ſpernit, veſte alba indutum.

22 Herodes, & Pilatus olim adinuicem inimici, Chriſto ad alterum ab altero redeunte, conciliatis animis, pacis fœdere vniuntur.

23 Chriſtus latroni, ac homicidæ compoſitus, eoque ſceleſtior ab hoſtibus reputatus, magna afficitur contumelia, dum ad vitam reus mortis, ad mortem vitæ auctor poſtulatur.

24 Poſt adeò inſignem ei illatam ex hac electione iniuriam, vt atribus verbis facta acriora ſuccedant, iuſſu Præſidis diriſſimè traditur flagellandus.

25 Lacerum corpus, & proprio cruore purpureum, purpura amiciunt inimici, ſpineam pro diademate coronam, arundineum pro ſceptro baculum, eius capiti, atque dexteræ illudentes imponunt.

26 Sic Ieſus regalia, ſed ficta gerens inſigna, producitur populo oſtendendus, dicente Pilato: Ecce homo, quolibet homine infelicior.

27 Iudex licet iniuſtus, iniuſtæ nihilominus Iudæorum petitioni acquieſcere nolens; accepta aqua lauit ſibi manus dicens, innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.

28 Pilatus Cæſaris amicitiam amittere pertimeſcens, in eum mortis ſententiam profert, in quo nullam mortis cauſam inuenire, pauloante dicebat.

29 Tandem crucis morte damnatus, clamide coccinea fictum Regem proteſtante, exuitur, & ſuis iterum veſtibus reindutus, ad Caluariæ montem ſuis humeris Crucem portat.

30 Sic Crucis trabe onuſtus, duobus hinc inde latronibus eodem ſupplicijs genere perimendis, comitatus incedit, ſed peracta itineris parte, ab eo, in Cyrenæum crucem transferunt aſportandam.

31 Mulieribus poſt ſe flentibus fletum prohibet, ſuper ſeipſas, ſuoſque filios, eas magis flere debere oſtendens illis verbis: Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?

32 Monte tandem conſcenſo, veſtibus, & propemodum

pelle

pelle nudatus, crucifigitur ſpectaculum omnibus miſerandum.

32 Impij milites, patrato ſcelere, Crucifixi veſtes inter ſe ſortibus partiuntur.

34 Excuſat apud Patrem ſe crucifigentium facinus, & eis, tanquam quid faciant, neſcientibus, ignoſci ſuppliciter poſtulat.

35 Latro Chriſtum inimicis veniam deprecantem audiens, veniam deprecatur, & ipſe quam feliciter obtinet, dicente Domino, Hodie mecum eris in Paradiſo.

36 Dilectam Matrem dilecto commendat Apoſtolo, qui mox velut Mater, & Filius, materno, ac filiali viciſsim inter ſe amore iunguntur.

37 Paterna, ac ſua pariter in tormentis protectione deſtitutus, ſe à Patre derelictum lachrymabili voce conqueritur, dicens, Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me.

38 Clamat exhauſtus ſanguine, Sitio, moxque acetum commiſtum felle, ſpongia, arundineque delatum ſitientis ori apponunt, eum cæteris irridentibus.

39 Tum propinati poculi amaritudine deguſtata, clamans, in hanc vocem prorumpit, Conſummatum eſt, totum ſcilicet, quod Patris decreto, eum perpeti oportebat.

40 Demum voce magna iterum clamans, ſeque tali voce, quam purus homo tunc exanimis edere non valeret, Deum eſſe conteſtans, ſpiritum ſponte tradidit, non inuitus amiſit.

41 Quo mortuo miles lancea latus eius aperuit, vnde ſanguis, & aqua mirabiliter profluxerunt, noua ſcilicet ſacramenta, veteribus antiquatis.

42 Sacrum Corpus de Cruce, pia Ioſephi, & Nicodemi actione depoſitum, aromatibuſque conditum, ac munda ſyndone inuolutum, ſepulturæ tradunt, poſt triduum excitandum. Deuota hæc, & profunda ſimul myſteria, quæ cunctos tenent cæleſtis curiæ proceres in admiratione ſuſpenſos, quàm plures humana ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum, elati, phariſiaco, vt ſolent, ſupercilio paruipendent, ac rugata fronte deſpicient, mulieicularum eſſe aſſerentes, hiſce paſſionis punctulis incumbere, tempus inſumere, quibus hoc, nomine meo ſit reſponſum, nos non ponere margaritas ante porcos; & talium quoque perſonarum eſſe regnum cælorum. Tu igitur fili mi, his incumbe, in his veteraſce. Quotidie

tidie Creatoris tui, ac Redemptoris verba, & facta meditare; diſce cor Dei in verbis Dei, vt ad æterna ſuſpirans, mens tua ad cæleſtia gaudia maioribus deſiderijs accendatur; & ſine eos, qui contraria ſentiunt, cæci enim ſunt, & duces cæcorum.

TOTIVS TRACTATVS concluſio.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Ho. E Cælo iſta poſſideo, mihi cunctis terreſtribus cariora. Faſciculum hunc myrrhæ ex florida, & amœna cæleſtis Paradiſi regione delatum, amoris igne accenſum, perpetuò, vt ſpero, in ara cordis arſurum, libenter recipio, & carè amplector, Sed quid tandem concludis de dignitate, & excellentia vtriuſque naturæ? nam de amore conſtat.

Deciſio Angeli de dignitate, & excellentia vtriuſque naturæ.

Ang. Conſideratis ambabus via originis, & ſecundum dona naturalia, natura Angelica excellit humanam, & ſuo magis appropinquat Conditori. Eiſdem verò conſideratis penes gratuita, & ſupernaturalia dona, poſito etiam incarnationis myſterio, natura humana excellit Angelicam, & accedit proprius Deo homini Redemptori.

Ho. Et ego plus gaudeo, bone Ieſu, me Angelis præferri per tuam gratiam, quàm eſſe Angelum per naturam. Plus gaudeo poſt te crucem ferre, & legitimè decertare, quam non lata cruce lætari, & ſine certamine coronari. Quapropter, ſi liberum mihi eſſet, ad modum Angeli, in momento, & vnico voluntatis actu, gloriam adipiſci; potius per longa temporum interualla, omni pœnarum genere, labore, afflictione, anguſtia, dedecore, contumelia, necnon & horribili multoties iterato certamine, condenſatis plagis, atque ad extremum vſque agonem, grauioribus ſemper cruciatibus repetitis, eam conſequi vellem, vt veſtigia ſequerer Redemptoris, ſciens etiam honoratius eſſe, pariter, & excellentius, Regem virtute fieri, quàm naſci. Plus gaudet anima mea, ſponſam eſſe Dei, & duplici ab eo ſtola veſtiri, quàm eſſe Angelum Dei, & ſimplici tantum ſtola ſimplicem decorari.

Ang. Sua vtrunque ſorte contentum in Domino gaudere oportet, eumque pro tantis acceptis beneficijs ſuper omnia toto corde diligere, & ſummã erga illum gerere gratitudinẽ.

Ho. Laus ſapientiæ Conditoris,honor gratiæ liberatoris, gratiarum actio potentiæ illuminatoris; adoratio vni,& indiuiduæ creatrici, liberatrici, & gubernatrici omnium Trinitati. Et tibi etiam chariſſime immortales gratias ago,qui tam pleniſſimè dignatus es,meæ ſatisfacere petitioni, ita vt in hac materia non ſit mihi aliud vltra quærendum, niſi vt aliqua, iuxta condictum,de Virgine excellentia ad inuicem conferamus,vel potius tacens audiam te loquentem.

Ang. Pro hac vice ſatis, ſequenti nocte, eadem hora, præſens iterum viſibiliter adero,& tuæ,quantum expedit viatori, voluntati libentiſſimè ſatisfaciam.

Primæ Vigiliæ finis.

DE INCOMPARABILI VIRGINIS EXCELLENTIA.

VIGILIA SECVNDA.

PRINCIPIVM VIARVM DEI, Virginem Deiparam, rectiùs quàm Luciferum, Angelus aſſerit nuncupandam.

CAPVT PRIMVM.

Ang. GAVDIVM ſit tibi ſemper, chariſſime, & pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, te ſupra ſenſum eleuet, cor tuum cuſtodiat, intelligentiam acuat, mentemque illuminet, vt ea ſpiritualis percipias, quæ animalis homo percipere non valeres, & præſertim hæc, quæ modo de Regina noſtra mecum ſuſcipis pertractanda.

Ho. Vehemens impreſſa menti imaginatio ſuper his, quæ tranſacta nocte contulimus; impatiens futuræ vigiliæ, quæ nunc adeſt, expectatio; anxia nimis iterum te videndi ſollicitudo, atque continuus cordis mei tremor, ne fortè tu, qui ad hanc horam me paratum ire iuſſiſti, deprehenderes imparatum.

Ang. Non inſuetum homini in hiſce caſibus accidens. Ego quidem te paratum inueni, ſed paratior, magiſque idoneus eſſes, ſi, quemadmodum vigilantem, & orantem, ſic pariter gaudentem te in Domino inueniſſem; & mihi quidem nil carius, nil gratius, nil iucundius ex eo, quo fungor, mune-

re eſſe poteſt,quàm hominem,quem cuſtodio, inuigilare, orationi inſiſtere, & iucunda ſereni animi tranquillitate potiri. Prou.17. *Spiritus enim triſtis exiccat oſſa, animus gaudens ætatem floridam facit.*

Ho. O me fèlicem,ſi hæc mihi adeſſent,ſed miſerum, quia deſunt. In vigilando torporem, in orando teporem, quæ me prohibent ſpiritaliter gaudere, prætermitto infelix; ſed quonam pacto poterit iucunda ſereni animi tranquillitate potiri ille,qui à ſemetipſo,ſecumque diſcordat? ille,cui tanta cum inſufficientia, alios regendi cura incumbit, quem propterea grauiſſimum deprimit onus Angelicis humeris formidabile? Quem antiqua viginti annorum crux, nullis ferè interpellatis vicibus, miſerrimè, ſenſibili pœnæ adiuncto culpæ timore dilaniat? propter quod minus ſæpè tractabilem fratribus me exhibeo,quo fit,, vt plus diligens,minus ab eis diligar.

Ang. Modo hæc memorare, quid intereſt? Viuax horum apprehenſio crucem magis aggrauat,quàm alleuiet. Memento te in exilio degere, non in patria commorari; exuli autem ſuam ab exilio reuocationem expectanti ſatis eſt illa tranquillitas,illa quies,pax illa,quam confert rectè factum,& conſcientia bona,qua ſicut nihil melius,ita nil felicius eſſe poteſt peregrino ad patriam properanti. Cæterū dulcis interim memoria illius beatæ patriæ, ad quam pergis viator,Virgine,de qua loquimur,comitante,ſit releuatio mœroris,tædiorumque tuorum. Sed tu quid in hoc libello orando, me apparente, legebas?

Ho. Breuem quandam oratiunculam,qua,& mane,& ſero, & quoties alicuius momenti ſum aliquid aggreſſurus, beatæ Mariæ,tibi fideliſſime cuſtos, cunctiſque cæleſtis patriæ ſpiritibus,quoad poſſum,meipſum toto corde commendo.

Ang. Quid in hoc folio coram te explicito continetur?

Ho. Quædam inſufficientiæ meæ proteſtatio, ſiue confeſſio,ad Virginem,de qua loquimur, celebrandam. Ego enim propoſueram aliquando me aliquid de hac Virgine tractaturum,ſed ipſamet,quam confitebar,hebetati ingenij, atque obtuſi acuminis imbecillitas me ab opere retardauit.

Pia hominis de ſua inſufficientia proteſtatio. *Ang.* Eandem nunc confeſſionem corde, & ore repetere non inconuenit, ipſam lege.

Ho. Quantum tua mihi præcipit reuerentia,benedicite. Principium loquendi eorum, qui te, ſanctiſſima Virgo,laudare ge-

re geſtiunt, eſt vera, & conſtans, & tuæ ineffabilis magnitudinis, & propriæ prope nihilum, paruitatis confeſſio; vt ſic oſtendant, quàm ſit impar infimi laudatoris; ad te celſiſſimam, & & nunquam ſatis laudandam proportio. Confiteor igitur & ego, ò Beatiſſima, tantam eſſe tuæ celſitudinis eminentiam, vt nullus ſermo in laude tua inueniatur idoneus, etiam ſi omnes in toto Orbe diſperſæ linguæ conuenirent in vnum, quia quemadmodum ipſam humani generis naturam, excellentium meritorum dignitate tranſcendis, ita in tuis laudibus omnium encomiorum legem, omnem humanæ vocis exuperas facultatem. Itaque ſi tibi impar eſt omne humanæ linguæ præconium, & quidquid de te dixerunt zelantiſſimi tui honoris filij, ſi in tuarum laudum enarratione diſertæ balbutiunt linguæ, perſpicaces cæcutiunt intellectus, ad quid ego vilis homuncio, & omnium nouiſſimus de te non quidem loqui, ſed potius balbutire tentabo? At tu Domina, mater noſtra es, matrem autem æquè, vel magis, conciſæ voces bulbutientis adhuc filij ſicut integra, & ſenſata adultæ prolis verba delectant. Nunc igitur Beatiſsima, monſtra te eſſe matrem, & linguam pauperis tui venuſtiori reſperge eloquio, vt de magnificentijs tuis aliquid, tametſi balbutiendo depromam.

Ang. Deuotus, humilis, & elegans apparatus ad hanc celſiſsimam Dominam laudandam, ſed certè in ipſo tanti apparatus exordio ſuccumbere non debebas, illi timens diſplicere, ſi laudares, quia eius laudibus te imparem agnoſcebas, præſertim confitens hanc Dominam, velut pientiſsimam Matrem magis confuſis balbutientis filij vocibus, quam diſtinctis adultæ prolis verbis oblectari. Nec quia ipſa materia ineffabilis eſt, loquendi tibi aufert poteſtatem, ſed potius fandi maiorem tribuit facultatem, cum nunquam poſsit deficere quod dicatur, dum non poteſt ſatis eſſe quod dicitur.

Reliquum eſt, vt præclariores quoſdam ex tam multis, qui auguſtiſsimæ huic Dominæ tribuuntur, titulos proponamus, quàmque glorioſè parti ab ea fuerint, explicemus; hæc enim eſt optima indagandæ huius Virginis excellentiæ methodus: tituli namque ſi vani non ſint, titulati exprimunt excellentiam, ſignanter dico, ſi vani non ſint, etenim vaniſsimi huius mundi tituli dementiam potius, quam excellentiam explicant mundanorum. Igitur primum omnium ei hunc titulum tribuamus. Primus titulus Virgini attributus.

Ipſa

Ipſa eſt principium viarum Dei.

Ho. Horreo ſacræ Virgini hunc titulum tribui, ſceleſtiſſimo omnium ſpirituum attributum.

Ang. Horrores meritò, ſi tantæ Virgini aliquis ex his, quos ille cadens, aut poſt caſum promeruit, tanquam perpetuum admiſsi ſceleris, atq; contractæ infamiæ monumentum, titulus tribueretur; at non ita eſt, nam quem Reginæ noſtræ tribuimus, vnus eſt ex his, quibus ille ob eximiam ſuæ naturæ præ cæteris excellentiam, pulchritudinem, dignitatem, in ſuis ſtatim primordijs fuerat inſignitus, paùlopoſt etiam perennem ſuper reliquos auctoritatem accepturus, tantò illuſtriori amplioris gloriæ corona præ cæteris decorandus, quantò excellentiora præ alijs naturalia, cum æqualibus gratiarum pro ampla ſui capacitate muneribus in ſui conditione acceperat; Ac propterea principium viarum Dei, ideſt, omnium creaturarum intellectualium primus re ipſa debuit appellari, nunc infamis dæmoniorum princeps appellatus, titulus vtique illi pro tanto ſcelere ſingulariter meritiſsimus. 1.

Ho. O certè omni cum timore ſpectandum diuinæ ſeueritatis portentum, ex quo efficaciſſimum relinquitur argumentum, quàm horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis. Si enim Deus ſuperbienti Angelo licet nobiliſsimo non pepercit, quid erit de viliſsimo, ac abiectiſsimo cinere ſe in altum extollente?

Ang. Itaque nil vereare Virgini hunc titulum nuncupare, ſed illius potius de ſatana reportatũ gaudens agnoſce triumphum: Nam ſingularem hunc titulum quo fuerat (vti diximus) Lucifer inſignitus, cum eſſet inter Angelos nedum natura, decore, ſciẽtia, ſed multiplici etiam gratiarum chariſmate primus, quem poſtea titulum re, & nomine turpiſsimè ſuperbiendo amiſit; Virgo iſta obtinuit, quæ ipſum glorioſiſsimè aperto marte deuicit, iamque ſub illius pedibus conculcatus, miſera, qua alios preſſerat, præmitur ſeruitute. Hæc eſt fortiſsima illa quondam à Deo promiſſa mulier antiqui ſerpentis caput contritura.

Victoria Virginis contra Luciferum.

Ho. Vicit hæc Virgo Luciferum, vicit, & Archangelus Michael, adiuuantibus cæteris, ſed quis glorioſum magis reuexit de illo triumphum?

Ang. Puella hæc longè glorioſiùs, quàm ille cum ſuis, de diabolo triumphauit. Satanæ hæc vna mulier infeſtior fuit,

quàm

quàm cæleſtis militiæ fortiſsimi quique principes; hanc vnam plus ille timet, quàm totam ſimul ſublimium poteſtatum cæteruam, propter hanc omnes timet, qui ab omnibus timebatur. Hic victus à fœmina, olim omnium ferè victor, rabie tabeſcens exclamat. Nil contra me ſexu infirmiore validius.

Ho. Agnoſco in Virgine maiorem præ cunctis gratiam, & inde intelligo maiorem præ cunctis illam reuexiſſe de hoſte triumphum, illuſtriorem palmam, ampliorem gloriam, honoratioremque victoriam.

Ang. Rectè victoriam recognoſcis ex gratia; namque ſatan in homine, non naturam, ſed gratiam timet, quantùm enim ad naturam attinet, eouſque ipſius inualuit ſuperbia contra hominem, vt nullum prorſus timeret. Homo ſine gratia cum dæmone comparatus, locuſta eſt, ille gigans, ſed ipſe homo gratiæ fulcimento, gigantis induit fortitudinem, & gigantem lucuſtæ deprimit imbecillitas. Et præſertim cum adſit nunc Virgo egregia pro homine bellatrix, ipſi dæmoni formidabilis magis, quàm caſtrorum acies ordinata. Etenim non ſic timent hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, & exemplum, fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicunque inuenerint crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſolicitam imitationem.

Satan non naturam, ſed gratiam timet.

ESSE VIRGINEM PRINCIPIVM VIARVM *Dei, eique ſoli hunc titulum conuenire, multiplicia eiuſdem tituli myſteria, quæ in ſolam Virginem quadrant, Angelo interprete, manifeſtant.*

CAPVT SECVNDVM.

Ang. CEltiſsimum hunc titulum, Principium viarum Dei, tribuimus Virgini, ſed ne videatur titulus ſine re, vel res de ſolo nomine euaneſcens in nihilum, vt vaniſsimis mundanorum titulis accidit; quare, & quot modis principium viarum Dei Virgo iſta dicatur, manifeſtum eſſe oportet; ſed ſcire prius conuenit, quæ ſint, & quid ſignificent viæ Dei; his enim cognitis, facilè intelligetur, quare, & quot modis, ipſa principium viarum Dei nuncupetur. *Vniuerſæ autem viæ Domini miſericordia, & veritas.* Cum igitur ipſa ſit principium

Maria cur principiū viarum Dei. prima ratio.

Pſal. 24.

pium viarum Dei, miſericordiæ, & veritatis principium eſſe oportet. Principium extitit miſericordiæ, quia ipſa huic mundo edidit Saluatorem ex Deo, homineq; conſtantem, qui ſolus completè miſericors inuenitur. *Exortum eſt* enim ex hac Virgine *lumen rectis, miſericors, & miſerator Dominus.*

Pſal. 111. *Ho.* Non opus erat Deum ex Virgine factum hominem naſci, vt miſericors eſſet cuius tantæ ab initio extitere miſericordiæ, vt miſerationes eius ſuper omnia opera eius vexillum ſemper extulerint.

Hebr. *Ang.* Imò neceſſe fuit *per omnia fratribus aſsimilari, vt miſericors fieret.* Completa namque miſericordia ex duabus conſiſtit partibus integrata, effectu videlicet, & affectu, vt nihil aliud ſit miſericordia, quàm animi condolentis affectu, cum additamento beneficij. Quo fit, vt nec Deus, nec homo diſiunctim valeant in integrum miſeri, cum neutri vtrumq; inſit, & vtrique alterum deſit. Ea enim, quæ in Deo eſt, miſericordia affectu caret animi condolentis, quæ verò in homine, effectu potentiæ efficaciter aduiuantis. Quid in obitu amici agere velet homo? plorare. Quid Deus? vt iterum viuat, imperare. Solus ille, qui vtraque conſtat natura, vtrumque miſero beneficium præſtitit. Et mortuum namque ſua deplorauit humanitas, & vt ex mortuis rediuiuus adeſſet, ſua imperauit deitas.

Non Deus ſolus, nec homo eſt completè miſericors, ſed Chriſtus.

Ho. Hoc eſt, quod ego ſæpe Deum deuotè alloquens dicere ſolebam. Sed tu Domine, & miſericors ſimul, & impaſſibilis quomodo es? nam ſi es impaſſibilis non compateris, ſi non compateris, non eſt tibi miſerum cor ex compaſsione miſeri, quod eſt eſſe miſericordem. At huic obiectioni, & mihi ipſi deinceps reſpondebo, Deum ſimpliciſsimum ab omni prorſus compoſitione immunem, ac propterea phyſicæ qualitatis expertem, affectiuè miſereri non poſſe, ſed effectiuè tantùm dum efficaciter adiuuat; Chriſtum vero vtramque natura conſtantem, vtroque modo miſericordem.

Apoc. 10. *Ang.* Huic myſterio ipſe Chriſtus arridet, ſub forma Angeli de cælo adueniens iride coronatus. Iris ſignum fœderis eſt, & miſericordiæ ſimbolum; rectè igitur non Deus, ſed verbum caro factum iride coronatum apparet, quia ſolus ille miſericors, ſolus illè completam, omnibuſque numeris abſolutam miſeris miſericordiam præſtitit, qui in ſeipſo ſuæ deitatati veſtram copulauit humanitatem; Vnde priores miſe-

ricordias

cordias vna hac poſteriore ſuperauit: Dicebatur aliquando, miſerationes eius ſuper omnia opera eius, dicatur nunc, miſericordia eius ſuper omnes miſerationes eius.

Quid? quod ipſum quoque omnipotentis thronum iris circundat, miſericordia protegit? Iris enim erat in circuitu ſedis, quaſi non ſatis eſſet, ſedentem iride coronari, vt vexillum miſericordiæ olim pro medietate abſconſum, totaliter nunc expanſum vbique præfulgeat, vbique cernatur inſigne, acclametur triumphus, ſciantque omnes nil Deo homini impoſsibile, quàm miſeris nolle in integrum miſereri. Apoc 4.

Ho. Optima illatione colligis hanc Virginem principium eſſe miſſericordiæ, & modo ego primariam agnoſco cauſam, quare ipſam Matrem appellent miſericordiæ. Maria principium in ſe miſericordiæ, & veritatis.

Ang. Similiter altera via Domini eſt veritas, hæc Virgo principium viarum Dei, igitur principium veritatis, ideſt Chriſti, quantum ad eius attinet humanitatem. *Veritas enim de terra orta eſt*, ideſt Chriſtus de Virgine, quæ terra eſt benedicta, & virginalis. Hinc conijce, quomodo à veritatis parente, qui veritatem non diligit, qui facit, & amat mendacium, diligatur. Simplex, & veridica ſimplicis veritatis genitrix non poteſt non odiſſe mendaces, non poteſt non execrari duplici corde viros. Pſal. 84.

Ho. Sed hìc mihi ſuboritur dubium, cur ſacra Scriptura miraculoſam Virginis conceptionem, feſtiuiſsimum eius ortum, vitæ feriem, geſta, præclara ſanctitatis opera, ac reliquum vitæ curſum, mortemque reticuit: Præcurſoris verò ortum, parentumque dignitatem, vitæ ſanctitatem, & ardua illius ad martyrium vſque facinora tam diſtinctè deſcripſit?

Ang. Conſultò, & ſancti Spiritus inſtinctu ſacri Euangeliſtæ plura de Virgine riticuere myſteria: Primò vt fidelium in ipſam Virginem magis excitaretur deuotio, & acuerentur ad illius celſitudinem contemplandum pia inquiſitione ingenia, quibus, quia nunquam totum, quod quæritur, inuenitur, ſemper aliquid ſupereſſet vltra quærendum, vnde maiora in dies, quæ latebant, ſacræ Virginis panderentur encomia. Deinde ideo Scriptura plurima, quæ de Virgine dici poterant, tacita pertranſiuit, ne in illius veneratione quid nimis accideret, vt pote extra limitem creaturæ rudi plebe Virginem arbitrante, creatori ſolummodo deferendum creaturæ deferrent honorem. His nihilominus non obſtantibus,

ſcias Matthæum duobus verbis cuncta ſacræ Virginis propalaſſe myſteria, extuliſſe encomia, metamque fixiſſe, dum ait, ipſam eſſe, de qua natus eſt Ieſus.

Ho. Verè hunc titulum omnium excellentiſſimum æſtimo, ipſam nimirum eſſe, de qua veritas orta eſt, de qua natus eſt Ieſus; Namque titulus Matris Dei eſt principium, ex quo ſumma, vel vt melius dicam, infinita eius dignitas recta conſecutione colligitur. Cæterum, nos quidem dignitatem Matris Dei miramur, eique congaudemus, ſed ipſam eſſe Matrem miſericordiæ miſeris ſapit dulciùs, quia miſericordiam complectimur chariùs, recordamur ſæpiùs, & crebriùs inuocamus, & non fruſtra; Dicam non minus veraciter, quàm fidenter. Sileat miſericordiam eius, ſi quis inuocatam eam in neceſsitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Huius ſiquidem miſericordia replet Orbem terrarum, & vſque ad nouiſsimum diem inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis.

Secunda ratio. *Ang.* Ipſa eſt principium viarum Dei, ideſt, prima via, in qua iuſtitia poſuit greſſus ſuos, vel prima, quam Filius Dei ingreſſus eſt, in hunc mundum peregrinaturus adueniens. Prima inquam, per quam Deus ab itineribus æternitatis ſuæ ad itinera mortalitatis veſtræ deſcendit.

Tertia ratio. Principium viarum Dei, ideſt, in tota rerum congerie prima, & perfectiſsima, ad quam tanquam ad perfectionis menſuram, & terminum cætera alia reducuntur; Ad hanc, ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & homines, qui præceſſerunt, & qui ſunt, & qui poſt ad finem vſque ſequentur.

Quarta ratio. Principium viarum Dei, ideſt, omnium creaturarum excellentiſsima. Hæc præcellit alios in naturalibus, eminet vniuerſis in gratuitis, præſidet cunctis in gloria, Angelis quoque comprehenſis; & quæ prior eſt in donis, maior eſt in imperio, in donis omnium prima, in imperio omnium maxima.

Quinta ratio. Principium viarum Dei, quia in mente diuina ante omnem creaturam prædeſtinata fuit, vt Deum ſimul, & hominem procrearet, in qua, vt virtutum Dominus dignius ad habitandum domicilium inueniret, virtutum conuentus venerandum ſibi thalamum conſecrauit.

Sexta ratio. Principium viarum Dei, ideſt, principium vnionum Dei cum homine; gratia namque Deo homines reconcilians, atque

vniens

vniens ex perſonali effecta, vel pro his, qui præceſſerant, efficienda in vtero Virginis vnione, tanquam ex originali fonte proceſſit; Et niſi Deus in thalamo virginali ſingulari vniretur humanitati, nec per Euchariſtiam ſingulis vniretur hominibus; ita vt harum vnionum fundamentum ſit vnio hypoſtatica, & ipſa vnio principium ſumpſit in Virgine.

Ho. Imò quidam ex noſtris aſſerunt, quòd per abſolutam Dei potentiam ante hypoſtaticam vnionem in Virgine celebrandam potuit ita verè Euchariſtia fuiſſe, ſicut nunc, & per conſequens, ſacramentalis vnio eam, quæ facta eſt in Virgine, vnionem potuit præceſſiſſe, quo dato, homines ſumentes Euchariſtiam, verè vnirentur Deo homini, licet nondum eſſet Deus ex Virgine factus homo.

Mirabilis Scoti opinio. Scot. in 4 d. 10 q. 4. & Soto in 4. diſt. 8 q. vnic. ar 5. & diſt. 10 q. 1. ar 2.

Ang. Quæſo ſubtiles has deſine, mecum loquens, argutias. In hoc ſacramento, non quæ admirationem augent (licet ſatis admirabile ſit, imò omnium mirabilium maximum, ſub modico quantitatis fragmento Deum, & hominem contineri) ſed quæ deuotionem acuunt, ſunt à fidelibus exquirenda, ſicut doctiſſimi illi, ac pariter deuotiſsimi Seraphicus, Angelicuſque Doctores, Theologorum principes ore omnium acclamati, ſanè, ac ſalubriter monuere.

Principium viarum Dei, ideſt, prima, in qua diuina potentia ſecundum vltimum ſui poſſe extitit operata, cum enim Deus omnia poſsit, non poteſt hanc Virginem efficere meliorem in eſſe maternitatis. Prima, in qua diuina bonitas magis quàm in alia creatura, ſe diffudit ad extra. Prima, in qua diuina ſapientia maximas, & inauditas patefecit inuentiones, namque in ea adinuenta, & peracta fuit infinitè diſtantium vnio, ex qua vnione compoſitum illud diuiniſsimum reſultauit Chriſtus Deus & homo, Deus humanatus, homo deificatus.

Ho. In compoſito hoc diuiniſsimo, Theologi pulcherrimam adnotant cum myſterio Trinitatis antitheſim. In illo namque myſterio vna eſt natura, & plures diſtinctæ perſonæ, in Chriſto vna perſona, & plures diſtinctæ naturæ. Ibi vna eademque natura in ſingulis tota reperitur perſonis; in Chriſto vna perſona tota, & eadem in pluribus reperitur naturis. Ibi eſt alius, & alius, ſed non aliud, & aliud; in Chriſto aliud, & aliud, ſed non alius, & alius.

Antitheſis inter Euchariſtiam, & Trinitatem.

Ang. Alia & quidem mirabilis inter Virginem, & ſatanam reperitur antitheſis. Principium viarum Dei Virgo; princi-

pium viarum perditionis ſatan: Viæ Dei virtutes, via dæmonis vitia; prima virtutum humilitas, prima humilium Virgo; primum vitiorum ſuperbia, primus ſuperborum ſatan: Hæc humillima humilitatis, & cæterarum virtutum principium; ille ſuperbiſsimus ſuperbiæ, & reliquorũ vitiorum caput. Hæc humilitatis alumnos, ille ſuperbiæ filios regit, & gubernat.

Ho. Et quia, vt in prima vigilia dixiſti, quantò aliquod ad ſuum principium plus accedit, tantò magis illius effectum participat, ideo quanto propiùs ad hanc humillimam humilis appropinquat, tantò magis in humilitate proficit, & quo plus ad ſatanam ſuperbiſsimum ſuperbus accedit, eo amplius in ſuperbia creſcit.

Septima ratio.

Ang. Denique principium viarum Dei. Quia quemadmodum annonas, quæ ex ciuitate in diuerſa transferuntur loca, per latam, principemq; ciuitatis viam tranſire prius oportet; ſic tam multiplicia gratiarum munera ad varios Eccleſiæ militantis ſtatus, & ad priuatos cuiuſcunque gradus perſonas venientia, media hac Virgine, velut regia via, viarumque principio deferuntur: Vt Eccleſiæ militantis filij, & triumphantis etiam, bona gratiæ, & gloriæ vni huic Virgini poſt Deum accepta referant vniuerſa; à qua etiam, velut ab exemplari principio diuerſa religioſorum hominum inſtituta ſumpſere exordium.

VIRGO DEIPARA MONS MONTIVM Dei, ſoli Deo inferior, & cunctis ſuperior creaturis.

CAPVT TERTIVM.

Ho. IAm excellentiſsimo Luciferi præ cunctis ſuperbientis titulo, Virginem præ cunctis humilem inſignitam, te indicante, perſpexi, eam ſcilicet principium eſſe viarum Dei. Num etiam ipſam Virginem pro ſuæ dignitatis eminentia, ſpiritualiumque bonorum affluentia, montem Dei Selmon, qui mons coagulatus dicitur, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum eſt Domino habitare in eo, iure merito interpretari poterimus?

Maria mons Dei ſecundus titulus.

Pſal. 67.

Ang. Montem Dei ſacram Virginem nuncupari, ne dubites. Mons Dei in ſacro ſcripturarum eloquio, is dicitur, in quo Deus inſigne aliquod humano generi beneficium præſtitit,

tit, aut mirabilia quædam effecit opera ſuperuenturis ſæculis memoranda. Sic Oreb mons Dei dicitur, quia ibi Deus Moyſi in flamma rubi ardentis quidem, ſed mirabiliter incombuſti apparuit, eum ſui electi populi ſub tyrannica Ægyptiorum ſeruitute luentis ducem, ac liberatorem conſtituens. Sic Syna mons Dei appellatur, quia in eo idem Moyſes legem digito Dei in tabulis lapideis ſculptam accepit. Sic etiam Carmelus mons Dei, quia in eo morabatur Elias homo Dei, ibique ſitienti terræ, ac præ nimia ſiccitate, æſtuque hianti pluuiam impetrauit. Sed Virgo mons montium Dei, quia in ea omnium beneficiorum maximum, cunctorumque mirabilium ſummum, ſacratiſsimum ſcilicet incarnationis myſterium operatus eſt Deus. Clariſsimus mons Maria, ex quo citra vllam manuum operam corporeo modo excidi voluit lapis angularis Chriſtus. Iuxta illud: *Abſciſſus eſt de monte ſine manibus.* Dan. 2.

Ex hoc monte Chriſtus humanum genus ſub dura ſatanæ ſeruitute captiuum, liberaturus, aduenit, legemque dulciſsimam non vltra in lapide, ſed in electorum cordibus ſecum detulit conſcribendam; in hoc monte pluuiam diu mundo optatam obtinuit gratiarum. Mons itaque Maria, ſed tanta proceritate ſublimis, quod reliquorum montium vertices ſub illius ſternuntur radices, cacumen verò prope ſolium Trinitatis protenſum, nullus, niſi longiſsimè deorſum diſtans aſpicere vnquam potuit.

Quòd etiam Selmon, qui vmbra interpretatur, ſacra Virgo debeat nuncupari, cui ab Angelo dictum eſt: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi*, ipſa eiuſdem montis conſentit interpretatio. Luc. 1.

Reliqua verò, quæ ſequuntur, mons coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, quamuis de militante, ac triumphante Eccleſia myſticè intelligantur, quarum vtraque & myſteriorum eminentia, & bonorum ſpiritualium abundantia, coagulati montis, & pinguis, titulo gloriatur, vbi Deus ad finem vſque cum ſuis ſibi complacet habitare, ſingulariter tamen poſt Chriſtum (cui abſolutiſsimè iſte titulorum ternarius competit) ad Virginem transferũtur.

Ho. Ego myſticum ſacræ Virginis montem, Olympum Poetis celeberrimum libenter vocarem, quem ferunt ad ſupremam aeris pertingere regionem, ac propterea à ventis, pro- Maria ſimilis monti Olympi.

cellis,

cellis, pluuijs, fulguribus, tonitriuſque immunem, atque eliminata nocte, clariſsima iugiter diei luce fulgere, in cuius dorſo, ſuper leuiſsimo impreſsi puluere caracteres, ob ſummam imperturbati aeris quietem, indelebiles perſeuerãt. Sic mons iſte perfectione, ac ſanctitate celſiſsimus, ſpiritali ſenſu, hæc omnia ſibi vendicat. Ad cuius radices (tantum abeſt, vt ad eius verticem perueniret) nullus omninò immundorum ſpirituum flatus peruenit, nec alius, præter auram placidiſsimam Spiritus ſancti dulciter, ſuauiterque ſpirantem, in eo perflauit ventus; nulla tentationum procella inſurgere, nec malarum cogitationum pluuia cadere vnquam potuit; Concùpiſcentiarum fulgura nunquam viſa, nec impatientiæ audita fuere tonitrua, nox ibi nunquam interfuit peccatorum, vbi ſplẽdidiſſimus iuſtitiæ ſol ſemel ortus, nunquam fecit occaſum; & quicquid Deus in hoc monte effecit, & inſcripſit, nullius vnquam extra venientis delebit incurſus, quia nulli vnquam ad eum patebit acceſſus.

Ang. Similitudo hæc, licet infima, & tantæ Dominæ celſitudinem minus quàm par eſt, ad explicandum idonea, placet nihilominus, quippe quæ ſummam Mariæ perfectionem aliqualiter tangit. Ideo namque mons iſte immundorum ſpirituum flatu, tentationum procellis, ac malarum cogitationum pluuijs ſuperior dicitur extitiſſe, propterea in eo concupiſcentiarum fulgura nunquam viſa, nec impatientiæ audita fuere tonitrua; quia nulla in Virgine fuit interiùs pugna, nulla ſenſualitatis rebellio, vel contradictio, nulla animi perturbatio, nulla denique inter vtramque ſubſtantiam colluctatio, ſed ſedebat Virgo in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Hæc, mortalium quolibet ſe infelicem hominem proclamante, læta nimis præ gaudio, in vocem exultationis erupit. Felix ego, & ſola inter alios felix, quæ communem cum cæteris non patior ſeruitutem: felix ego, quæ dum gigantes ſub aquis concupiſcentiarum gemunt, ego velut arca deifera eleuata ſum in ſublime, & flante diuini numinis aura gaudens feror ſuper illas. Tanta interiùs pace fruebatur Virgo, mortali adhuc carne circumdata, quia motus appetitus in ea vitioſi non erant, non enim contra rectam rationem ad aliquid mouebantur, vnde neceſſe eſſet eos ratione, tanquam frænis regentibus continere. Nam quod in cæteris ita mouentur, & ab eis, qui temperanter, & iuſtè, & piè

viuunt,

viuunt,aliàs faciliùs,aliàs difficiliùs cohibendo,& refrœnando modificantur, non eſt vtique ſanitas ex natura, ſed languor ex culpa.

Ho. Ego iterum ſimilem hanc Virginem facio inſulari cuidam monti aquis vndequaque circundato, qui (non minus certè dictu,quàm auditu mirabile) à reliqua,quæ deorſum eſt, terra disiunctus,ſuper aquas enatat, atq; ventorum hinc inde circumfertur impulſu; in eo vigent,virent, ac florent ſemper arbores; earumque ſemper perdurat amœnitas; in cuius medio auguſtiſſimum cernitur templum, ſoli planetarum nobiliſſimo ſacrum. Nihil horum defuit ſacræ Virgini,quæ in mundo exiſtens,ita mundum,ab eodem ſciuncta contempſit,vt nihil vnquam cum eo commune habuerit. Hæc ſemper peccatorum aquis ſuperior extitit, & licet diluuium peccati excelſos quoſlibet ſanctorum montes operuerit,ſolum hunc operire non valuit; hæc ad Spiritus ſancti auram ſuauiter flantem, placidiſſimè mouebatur, integerrimam ſemper in omnibus obedientiam præbens; In ea vigere, virere, ac florere iugiter cernebãtur virtutes,& amœnitas Paradiſi.Deniq;pudicũ huius Virginis clauſtrum templum eſt ſummo iuſtitiæ ſoli dicatum.

Hoc tam inſolitũ, & admirabile cernitur in Aegypto in quo dãſlacu, qui Bohius dicitur, vt ſcribit Põpouius antiquus auctor.

Ang. Et hæc quoque ſimilitudo non diſplicet, attamen non ſæpè ad ſacra ſunt transferenda prophana; nec naturalia, ſed à prophanis auctoribus mendicata ad pelagus inexhauſtũ, quaſi illi aliquid additura tranſmittere,paſſim licet: Nec rurſus Chriſtianus auctor inter grandes, ſolidaſq. ſacrorum eloquiorũ diuitias verſans,aliunde, & vbi extrema veri boni pauperies inuenitur, emendicare non indiget, nec eum decet,claram puri gurgitis vndam prætermittere, aquam turbidam biburum, aut pro arena torrentes aureos commutare. Quauis ſimilitudine, quibuſuis titulis, metaphoris, tropis,exemplis, volueris hanc Virginẽ laudibus cumulare, his omnibus ſacra Scriptura, velut indeficiens æterni fontis ſcaturigo abundat. Tãta eſt enim diuinarũ profunditas literarũ,vt in eis quotidie proficeres,ſi eas ſolas ab ineunte ætate, vel pueritia, vſq; decrepitam ſenectutem,maximo ocio, melioriq; ingenio conareris addiſcere.Tam multa,tam multiplicibus myſteriorũ vmbraculis opacata intelligenda proficientibus reſtant,tantaque in eis lucet altitudo ſapientiæ,vt annoſiſſimis,acutiſſimis,fragrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc congruat,quod ſcriptum eſt: *Cum conſummauerit homo,tunc incipiet*. Eccl.18.

Non ſæpe ad ſacra ſũt trãſferenda prophana.

M A-

MARIA VIRGO MONS COAGVLATVS, vbi de naturali eius perfectione agitur, & quàm eximia in ea extiterit, exterioris hominis pulchritudo oſtenditur.

CAPVT QVARTVM.

Ang. MVltùm, licet nunquam ſatis, ſacram Virginem laudabimus, ſi per amœnos ſacrarum Scripturarum campos, flores, non qui in nihilum euaneſcunt, ſed qui fructus vitæ parturiunt, colligamus, eoſque nectentes, ſtemmata componamus: Ad hos autem flores decerpendos, montem coagulatum adeamus, montem pinguem, montem, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, vnde terno circumactam giro Reginæ noſtræ coronam intexemus. Et in primis ternarius iſte tres oſtendit Deiparæ Virginis ſtatus, naturæ ſcilicet, gratiæ, & maternitatis; Mons coagulatus naturæ perfectionem, mons pinguis gratiæ plenitudinem, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, maternitatis indicat excellentiã; in quorum ſingulis gradatim maior illius felicitas innoteſcit; felix in naturalibus, felicior in gratuitis, ter in maternitate felix.

Maria mons coagulatus tertius titulus.

Triplex Virginis ſtatus.

Cum autem in vnoquoque generum detur vnum primum, & perfectiſſimum, quod eſt menſura perfectionis omnium ſub illo genere contentorum; talem ſcias in ſingulis horum ſtatuum, vel generum Virginem reperiri: In ſtatu naturæ ipſa eſt primum, & perfectiſsimum, vtpote colligens in ſe vna omniũ creaturarum perfectiones. Et ideo mons coagulatus, quia quod in cæteris fluxibile eſt, & ad momentum perit, in hoc monte velut coagulatum, condenſatumque perſiſtit, nunquam ſucceſſu temporis periturum. Meritò quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in ſingulis, abundat in Maria. In ſtatu gratiæ ipſa pariter eſt primum, & perfectiſſimum omniũ participantium gratiam, omnes cunctorum gratias ſimul claudens; & ideo mons pinguis, ideſt, diuinorum chariſmatum adipe impinguatus, ac multiplici Spiritus ſancti vnctione delibutus; frugiferis olearum plantationibus vmbroſus, de quo proceſſurum Sanctum Sanctorum, & in mundum venturum, Vates ille cecinerat: *Deus* (inquiens) *ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte vmbroſo.* In genere maternitatis ſimilite

Habac.

ipſa

ipſa eſt matrum omnium prima, & perfectiſsima, nunquam habitura ſecundam, & ideo mons ex omnibus ſcilicet electus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.

Ho. Pulcherrima quidem ſunt, quæ de triplici ſacræ Virginis ſtatu in genere attigiſti,& mihi ſuper mel, & fauum dulciora,licet primoribus labris deguſtata,vnde non te hic finem dicendi feciſſe,ſed potius ad ea, quæ de ſingulis ſeorſum ſtatibus dicenda ſuperſunt,apparatum arbitror præmiſiſſe. Dixiſti Virginem,quoad ſtatum naturæ, montem eſſe coagulatum; quia quicquid perfectionis in ſingulis ſpargitur creaturis, adunatum in ea,ſimulque collectum excellentiſſimè reperitur, ſed nunc ad ſingulares congenitæ naturæ perfectiones deſcendere te oportet.

Ang. Quid tibi velis intelligo. Quænam fuerit, & quanta in Virgine vtriuſque hominis pulchritudo etiam pluribus, prolixiſque tractatibus explicari non poteſt. Hoc ſolummodo te non lateat,hanc puriſſimam creaturam à planta pedis vſque ad verticem capitis,nihil penitus habuiſſe, neque in corpore, neque in anima indecens,reprehenſibile,indecorum,ſed totum diuinæ ſapientiæ circino formatum,pulcherrimè circumciſum, plenisſimè,ac ſpecioſiſſimè operatum,eamque propterea ſummum in pulchritudine tenuiſſe,& perfectiſſimum,quod potuit eſſe in mortali corpore fœmineo, ſecundum ſtatum viæ, operante natura; conſentaneum namque fuit, pulcherrimam extitiſſe, pulcherrimum parituram. Quapropter ſic tenuit in pulchritudine ſummum, vt nequeant cum hac Virgine comparari pulcherrimæ illæ in ſacro eloquio memoratæ quondam mulieres; quarum alia erat (inquiunt ſacræ paginæ) *decora nimis, Virgoque pulcherrima*. Alia *decora facie, aſpectuque venuſto*; Alia *formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis amabilis, & gratioſa videbatur*; Alia ſimiliter formoſiſſima,cuius miram pulchritudinem cæteri admirantes, dicebant: *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum*. Eximiæ harum ſpecies vmbræ fuere Virginis pulchritudinis,quarum velut ſyderum igniculos clarum Mariæ lumen abſcondit.

Corporalis Virginis pulchritudo quanta.

Gen.24. Gen 29. Eſter.2. Iudit.11.

Ho. Quinimo in hac Virgine naturæ etiam integræ fuiſſe perfectiones, non leue mihi eſt argumentum, quòd omnia humanorum corporum vitia,imperfectiones, deformitates,obliquitates, ægritudines, & aliæ penè innumeræ humanæ naturæ

M miſe-

Originale peccatū principiū omniū malorum

miſeriæ ab originali peccato ortum ducunt. Virgo beatiſſima hac peſte caruit,igitur & miſerijs omnibus,quæ deriuantur ab illa; cui alias quoque perfectiones addidit ſummus artifex,vt duplex in ea eſſet perfectionum genus, alterum per remotionem,per appoſitionem alterum; ac propterea ipſam inter viatores,comprehenſoreſque medium tenuiſſe,non dubito,in quo ſtatu,vel originalem iuſtitiam habuit,vel certè effectibus eius potiſſimis omnino non caruit.

Ex alio capite probatur Virginis pulchritudo.

Ang. Ex alio quoque capite argumentari poteris Virginis pulchritudinem. Si Deus pro ſeruis tam pulchras,& magnificas præparauit mulieres,quantæ igitur pulchritudinis,ac magnificentiæ Matrem ſibi effecit omnipotens illa Maieſtas? Certè tot,tantiſque & naturæ,& gratiæ dotibus eam cumulaſſe apparet,vt ipſa inter omnes alias vexillum gerat pulchritudinis. Si talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis, qualis apparatus omnis boni, putas fiebat pro aduentu cæleſtis Regis in corde Virginis, quæ illum non ſolùm erat tranſitiuè hoſpitatura, ſed etiam ex ſubſtantia ſua factum hominem paritura? Denique factor hominum, vt homo fieret, naſciturus de homine,talem ſibi ex omnibus debuit eligere, imò condere Matrem,qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram,vt poſtea ipſe conditor illius,,quam condiderat, admirans pulchritudinem exclamaret. Quàm pulchra es,& quàm decora,chariſſima in delicijs,ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, quia inter omnes pulchras fœminas palmam præripis pulchritudinis.

Ho. O pulchritudo admirabilis, quam ſic admiratur, & collaudat pulcherrimus auctor pulchritudinis: O verè digna Deo filia,humanæ naturæ venuſtas,primiginæ matris Euæ correctio,mulierum ornamentum. Quænam creatura, pulcherrima licet,& perfectiſsima tecum audeat comparari? ad cuius præſentiam ſydera non apparent, nigreſcit luna, ſol quoque palleſcit,& creata quælibet pulchritudo euaneſcit in nihilum? Certabant ſæcula inter ſe, quodnam tuo gloriaretur ortu.Sed nunquid tam egregia in Virgine pulchritudo ad ſui vnquam concupiſcentiam aliquem incitauit?

Pulchritudo Mariæ motū libidinis extinguebat.

Ang. Abſit,quin potius viſa ab aliquo inhoneſto, ſtatim effrœnem in eo libidinem extinguebat. Sola hæc ſua pulchritudine neminem vnquam læſit, ſed inſtar lilij,& ſuæ puritatis candore, & ſanctitatis odore intuentium animos ad caſtitatē,

& ſan-

& ſanctimoniam prouocabat. Et ideò ſponſus ille cæleſtis cum cæteris mulieribus hanc Virginem conferens, illarum,& huius extremam conſtituit differentiam dicens. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias: Cæteræ namque mulieres ſpinarum inſtar, corda, animoſque cruentant; ſola hæc exorta de ſpinis lilium,odore ſanctitatis,& honeſtatis candore,vti dicebam,ſe aſpicientium animas mirificè recreabat.Sed de ſpinis natum,& collectum lilium quis vnquam audiuit?

Infeſtum, & crudele nimis ſpinarum genus mulieres, quæ nedum ſponte ad ſe accedentes pungendo dilacerant, ſed etiã velut ſuccinum paleas, graues pleroſque viros leuiter attrahunt exitialiter feriendos. Mulieres infauſtum ſpinarum genus

Ho. Nunc mihi in mentem venit,quàm ingenioſè quidam & comiter luſerit, ludo veritatem liniens,cunctis præter ſolitum placituram, ſic inquiens.

Mulier melle mollior, quò nitentior, eò nocentior;
Quæ dum te fouet, ſibi fauet;
Et dum ridet, radit, & rodit; Nota.
Quæ corpus carpit, & aurum haurit;
Idque lætanter, atque latenter.
Non virgo, nec virago, ſed vorago,
Quæ viros vorat, & amando mandit.

Sed quid mirum homines miſera hac magnete attrahi, hac peſte infici, cum filios quoque Dei attractos, & in ipſarum concupiſcentiam exarſiſſe legamus?

Ang. Ad vlteriora properantes, his non oportet amplius immorari.

Ho. Suſpicio mihi incidit, fateor, ideò te nolle his amplius immorari,ne fortè tibi obijcerem,Angelos quoque mulierum pulchritudine captos in ipſarum concupiſcentiam exarſiſſe. Equidem quàm præclarum eſt, Angelos propter intemperantiam ſuam in ſæculum cecidiſſe de cælo, virgines propter caſtimoniam ſuam in cælum tranſiſſe de ſæculo. Ambroſ.

Ang. Monſtruoſa ſunt hæc,& inter fabulas computanda, nec nudis ſpiritibus tribuenda, (quamuis propter maiorem ad Deum propinquitatem Filij Dei quandoque dicantur) ſed vel iuſtis, quibus Filius Dei poteſtatem dedit filios Dei fieri, vel filijs Seth, qui cum eſſent religioſiſſimi viri cum filiabus Caim concubuere. Quod ſi quidam nimis ſtupidi, & ſtolidi exiſtimarunt eos fuiſſe Angelos, excæcauit eos malitia ſua,

M 2 putan-

putantes ſuæ forſan intemperantiæ patrocinium habituros, ſi Angelos eiuſdem criminis reos tenerent; At certè per quàm noxium eſt audire, & credere, ipſos ſanctos Angelos corporum formoſitatibus affici, & tam prophanis, & obſurdis voluptatibus oblectari. Sed & non te pudet, ſermocinantibus nobis de honeſtiſsima hac Virgine, huiuſcemodi commiſcere ſermonem?

Angeli corporum pulchritudine non afficiuntur.

Ho. Pudet certè, & pudoris mei teſtis ſit ipſe circumfuſus rubore vultus; ſed occulti cogitatus confeſſio veniam obtineat poſtulanti.

MARIA VIRGO MONS PINGVIS.
Vbi de illius gratia agitur.

CAPVT QVINTVM.

Ho. SEd ſi tanta fuit in Virgine exterioris hominis pulchritudo, interioris hominis quanta erit? ſi decor animæ vix vnam gratiæ drachmam poſſidentis excedit omnem pulchritudinem corporalem, virgineæ animæ decor tantam habentis gratiam, quantus erit? quam pulchritudinem non excedat?

Maria mons pinguis, quartus titulus.

Ang. Hoc ad montem pinguem, ideſt, ad ſecundum Virginis ſtatum pertinet. Pulchritudinis interioris eſt aliqua (licet metaphoricè) cum exteriore proportio. Nam quemadmodum corporis pulchritudo ex apta membrorum compoſitione cum quadam coloris ſuauitate oritur: ita pulchritudo mentis ex virtutum inter ſe concinnentium nexu, & varietate cum ſuauitate coloris, quem charitas vtpotè ardens, & rubicunda virtutibus omnibus aſpergit, proficiſcitur. Quanta autem, & quàm eximia fuerit hæc in Virgine pulchritudo, hinc rationabiliter collige, quod ſpiritualis in anima pulchritudo attenditur penes gratiam, intenſio pulchritudinis intenſionem ſequitur gratiæ, ſummam in Virgine gratiam ſumma ſequitur pulchritudo. Contra verò anima viduata gratia omnem talem deperdit pulchritudinem, ſicq. decore in dedecus commutato, ex ſponſa Dei, dæmonis adultera conſtituitur; ex ſacrario Spiritus ſancti, fit execrabilis immundorum ſpirituum domus, ex templo Dei in domicilium tranſit dæmoniorum; & ipſa licet in corpore vigeat ſpecioſo, fœda, & abominabilis eſt, non

non ſecus ac putro in ornata ſepultura cadauer.

Sed aſpice quàm decora,& amabilis Virgo, in qua vtriuſq; hominis ad ſummum ſic radiabat pulchritudo,vt ſpecie ſua, & pulchritudine ſua, gemino videlicet,mentis,& corporis pariter decore præfulgida, cunctorum ſibi cæleſtium conciliaret amorem, & ipſum ſummi Regis filium ad ſe dulciter inclinaret,attraheret,humanaret. Vtriuſque hominis pulchritudo elucet in Virgine.

Ho. En chariſſime, quomodo te duce, de vertice montis coagulati ad montis pinguis radices, eius amœnitatem nobis inter contemplantibus, ventum eſt. O verè mons pinguis diuinorum chariſmatum pinguedine ſemper præditus;quis mihi tribuat,vt dignis exprimam verbis,quod de monte hoc cordis affectione concipio? Sed quare non ſemel tantùm,ſed bis pinguis appellatur mons iſte? dicitur enim ibi, mons pinguis, mons coagulatus, & iterum mons pinguis repetitur.

Ang. Immenſum penè exceſſum in gratia, duplex pinguedinis repetitio myſticè deſignare videtur: Tu verò quid dicis?

Ho. Hoc idem,nempe per hunc montem bis pinguem appellatum,maximam gratiarum affluentiam, & effluentiam ſimul in Virgine deſignari.

Ang. Ad diſtinctionem quoque aliùs cuiuſcunque electi. Semel tantùm mons pinguis dicitur Sanctus; ſemel atque iterum mons pinguis appellatur Virgo,quia cæteris per partes, Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ.Pleni item gratia fuerunt ſancti, plena gratia Virgo; ſed illi pleni plenitudine ſufficientiæ, quia nimirum ſufficientem gratiam habebant ad ſtatum, ad quem erant à Deo præordinati; hæc verò plena plenitudine ſpecialis prærogatiuæ, præordinata ſcilicet ad ſtatum ſupra omnem electam creaturam eminentiſſimum. Hinc immenſitas gratiæ præ cunctis comprobatur in Virgine, ſi enim gratia debet proportionari muneri, & dignitati, ad quam ſanctus eligitur, dignitas Matris Dei eſt infinita,igitur gratia huic dignitati proportionata erit immenſa.

Ho. Nunquid ſacra Virgo ab initio ſui eſſe,in prima gratiæ effuſione,plena gratia dici potuit?

Ang. Dici potuit,& verè fuit plena,nec huiuſmodi gratiæ plenitudo,ipſius gratiæ augmento repugnabat. Dicitur enim ſacra Virgo ab inſtanti conceptionis gratia ſemper plena fuiſſe,quia ſemper habuit quicquid pro temporis opportunitate conueniens fuit,& dignitati congruit. Illius autem gratia, nedum Maria in cõceptione plena gratia.

dum ratione dignitatis, ſed capacitatis etiam fuit immenſa. Hoc autem ex eo quod modo dicturus ſum, rectè intelliges. Summus ille artifex quamplurima mundiſſima, & pulcherrima diuerſarum capacitatum vaſa fabricatus fuerat, vt ea oleo gratiæ ſuæ impleret, iamque ſecundum ſuam cuiuſque capacitatem cunctis ad ſummum vſque repletis, nulla prorſus olei facta eſt diminutio; cum autem ad vas illud implendum ventum eſſet, tantæ fuit capacitatis, vt in eo totum ſtaret gratiarum oleum. Siquidem ad vas iſtud implendum cataractæ cæli apertæ ſunt, ruptique ſunt fontes abyſſi magnæ, abyſſus inquam diuinitatis, factumque eſt ſuper ipſum diluuium gratiarum.

4. Reg. c. 4. *Ho.* Hoc in præclaro illo miraculo, quod Sarectanæ viduæ, Eliſeo iubente, contigit, figuratum videtur: illa enim ex oleo vnius, vaſa plurima ſine primi defectione impleuit, ſed cum vnum adhuc vas ſupereſſet implendum, illud vltimi primi vaſis totum penitus exhauriuit oleum, ſtetitque in eo, quaſi plus olei clauderet vnum illud, quàm ſimul cætera continerent. O vas verè immenſum, non ſolum olei immenſitatem, ſed eum etiam continens, qui nuſquam contineri poteſt. O abyſſus gratiarum, & mons pinguis, nouellis olearum plantis, ideſt, cunctis Eccleſiæ filijs pinguedinem præbens.

In Virgine omnium virtutum excellentia. *Ang.* Præter iuſtificantis gratiæ plenitudinem, aliam quoque virtutum ſcilicet eminentium plenitudinem licet in ſacra Virgine intueri: In eam ſiquidem omnes virtutum excellentiæ alijs diuiſim conceſſæ, ſed longè maiores, quàm in ſingulis quibuſque Sanctis extiterint, confluxere, vt ſola præter cunctos plena gratia, plena Deo, plena virtutibus ſingulariter appareret. Attolle nunc mentis oculos, & ſuſpice montem pulcherrimis tot arboribus conſitum cedrorum, Dei altitudinem ſuperantibus, eminentiſſimis ſcilicet decoratum virtutibus, cui gloria Libani data eſt, decor Carmeli, & Saron.

Ho. O mons, deſiderium olim, quia abſens ſperabaris, gaudium nunc, quia præſens haberis, gaudium inquã collium æternorum: Tu ſolus mons, & cæteri quique ſanctiſſimi in comparatione tui, & in circuitu tui, vix colles leuiter aſſurgentes apparent, tu pomorum fructibus ſolis, ac lunæ præ cunctis abundans. (Deut. 14.)

Ang. Putasnè intelligis, quæ dicis? quinam ſunt fructus ſolis, & lunæ, quibus ſic mons iſte præ cæteris affluit?

Ho. Bona opera, hæc enim ſunt fructus ſolis, & lunæ, ideſt

gra-

gratiæ,& voluntatis. Gratia autem, & voluntas cuius efficaciæ ad fructus producendos in hoc monte extiterint, tu, qui alios, & me præſertim huius generis mirabilia doces, probè noſti.

Ang. Rectè,ſed hoc ordine, vt quod à gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficiatur, ideſt, à gratia, & libero arbitrio,vt mixtim, non ſingillatim, ſimul,non viciſſim per ſingulos profectus operentur,non partim gratia,& partim liberum arbitrium,ſed totum ſingula opere indiuiduo peragant,totum quidem hoc,& totum illa,ſed vt totum huic,vel in hoc ſit,totum eſt ex illa, quemadmodum luna à ſole mutuato lumine fulget. Et quicunque optimis huiuſmodi ſolis, & lunæ frugibus abundauerit,oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam,vocat eum Dominus. Ierem.11.

Ho. Ego etiam in ordine ſupradictorum verborum myſterium aliquod latere aduerto; nam primum dicitur mons pinguis, deinde mons coagulatus, & mons iterum pinguis repetitur.

Ang. Solida, & ſolerti Theologo digna, verborum quoque ordinis aduertentia; ſed quid tu ſubtili tuo ingenio myſticè inde elicis?

Ho. Montem coagulatum ad naturam, pinguem verò retulimus ad gratiam; ideò prius ponitur pinguis,quia in conceptione tantæ Virginis,natura ceſſit gratiæ,gratia anteuertit peccatum, atque animam illam beatiſſimam præoccupauit, exornauit,ac deluſo humani generis hoſte, talem in ea inſcriptionem poſuit. Hæc perpetua ſummi Regis manſio,non expurgata,ſed ſemper immaculata,quæ non prius fuit, quin gratia plena fuerit,in qua non fuit fomes extinctus,ſed nunquam accenſus. Poſt coagulatum iterum ponitur pinguis, ad inſinuandam aliam, & quàm maximam, poſt primam ſimul cum natura infuſam, ſuperadditam gratiam. Hoc myſterium inde mihi enucleandum videtur, quòd ſi minus aptè concinit, vel ego nimis audacter,te annuente,commentus ſum,parce. Nota pro immaculata Virginis conceptione.

Ang. Pulchra,& à veritate nō diſſona eſt hæc tua bis pinguis vocati mōtis interpretatio, vt pinguis primò poſitus primam gratiā,ſecundò verò appoſitus,ipſius gratię indiget augmentū.

Ho. Sed quanta fuerit prima huius Virginis gratia, & quantum eiuſdem gratiæ ad finem vſque excreuerit augmentum,à te audire vehementer cupio.

Ang. So-

Ang. Solus ille, qui gratiam huic Virgini tantam dedit, hoc nouit. Scias tamen gratiam ſupremi Angeli, licet adeò immenſa fuerit, vt ad ipſius perfectionem nullus vnquam Sanctorum potuerit peruenire, minorem tamen fuiſſe, quam fuerit prima gratia ſacræ Virgini in primo ſuæ formationis inſtanti collata, quam ipſa poſtea auxit innumeris penè actibus, ex tota efficacia gratiæ, & charitatis elicitis, hoc ordine, quòd ſemper actus poſterior adæquabat totam gratiam præexiſtentem priorum actuum, tantumque valebat ille poſterior, quantum omnes priores ſimul, & collectiuè ſumpti.

Prima gratia Virgini collata in conceptione quanta.

Ho. Luce clarius patet, augmentum gratiæ ſine ceſſatione ſic excreſcens in Virgine, ad finem vſque protenſum, incomprehenſibile, & immenſum penè fuiſſe, ſolamque huius Virginis gratiam præponderare magis, quam electorum omnium gratias in vnum ſimul collectas.

Ang. Quemadmodum decentiſſimum fuit, naturam illam, quam Creator voluit ſuæ perſonæ aſſumere, omnibus gratiarum chariſmatibus ſummè, & incomprehenſibiliter decorare, ita omnino condecens fuit, Virginem illam, quam ſibi matrem elegit, poſt humanitatem aſſumptam, vniuerſis gratiæ muneribus, tantum præ alijs inenarrabiliter exornare, quantum ſine dubio decuit Matrem Dei præ miniſtris, ornari, exaltari, deificari. Hoc denique apud fideles indubitatum oportet eſſe aſſertum, videlicet poſt excellentiſſima gratiarum dona aſſumptæ humanitati à Verbo collata, primum excellentiæ gradum tenere munera gratiarum ab eodē Verbo Virgini condonata.

Ho. O igitur Virginum beatiſſima, in quam fluxit tam copioſa, & ſupereminens gratia omnium gratiarum. Quid ſanctitatis tibi deeſſe potuit, quæ totius gratiæ chariſmate plena fuiſti? *Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Supergreſſa certè es in natura, ſupergreſſa es in gratia, ſupergreſſa es in gloria, vniuerſas filias, vniuerſas animas, vniuerſas intelligentias Angelorum.

Prouer. c. 30.

In natura ſupergreſſa es vniuerſas filias hominum, quia quod natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, ſtupet terra, creatura etiam omnis miratur cæleſtis, hoc totum in te per Chriſtum, quem Virgo concepiſti, & integra peperiſti, noſcimus adimpletum. Supergreſſa es in gratia vniuerſas animas Sanctorum, dum non ſolùm gratia plena, ſed etiam ſuperplena fuiſti; plena iam gra-

tia ab Angelo ſalutaris, deinde ſuperuenit in te Spiritus ſanctus, vt ſuperimplearis. Veniente iam Spiritu ſancto plena tibi, eodem quoque ſuperueniente, nobis ſuperplena, & ſupereffluens euaſiſti. Supergreſſa es in gloria vniuerſas Angelorum intelligentias. Aſcendiſti planè ſuper omne genus humanum, aſcendiſti vſque ad Angelos, ſed & ipſos quoque tranſcendis, & cæleſtem omnem ſupergrederis creaturam.

O præſtantiſſimum orbis terræ miraculum, ô cæleſte prodigium, & ſpectaculum ſacratiſſimum Deo, Angelis, & hominibus. O ſola ſanctis ſanctior vniuerſis, & ſanctiſſime ſanctitatis theſaure. Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione matris Dei nullus inuenitur perfectus, quamuis virtutibus eximius comprobetur.

Ang. Et quia gratia diuino correſpondet amori, ſequitur, vnam hanc plus reliquis ſimul ſanctis à Deo diligi, eamque ſic dilectam, ſic Deum quoque diligere. Sed quid mirum, ſi præ omnibus diligat, quæ præ omnibus eſt dilecta? ſi à Deo per amorem victa, victrix quoque Dei amore exiſtat? Vtrumque amore victum, vtrumque victorem, amoroſa vtriuſque indicat querimonia. Victa illa exclamat: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum m um, vt nunciatis ei, quia amore langueo*, quaſi diceret, illius ſum vulnerata amore, illi me victam reddo. Victus quoque Deus victricem ſuam in hunc modum alloquitur: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.* His confitetur Deus ſe à Virgine victum, & quodammodo proſtratum, & quòd ea vi amoris cor ſibi abſtulerit, blandè, dulciterque conqueritur.

Gratia corre ſpõdet amori.

Cant. 5.

Cant. 4.

Ho. Eouſque inaluit caſtiſſimus huius Virginis amor, vt ſuorum quoque deuotorum corda quandoque eripiat, vt propterea quidam huius Virginis amantiſsimus ſenſiens cor ſuum ab ea ereptum, & in illius poteſtate detentum exclamaret. Raptrix cordium, rapuiſti cor meum, & vbi quæſo poſuiſti illud? fortaſſe inter vbera tua, vt quod friget, ibi caleſiat?

Alia denique, ſed anterior mihi occurrit in ſupradictis verbis obſeruatio, nempe prius montem Dei Virginem appellari, quàm mons coagulatus, & pinguis dicatur, quaſi eſſe montem Dei ſit primum bonorum omnium naturalium, & ſupernaturalium fundamentum, & ratio.

Ang. Ita. Montis Dei appellatione oſtenditur æterna eius in Matrem Dei prædeſtinatio: Coagulatus verò, & pinguis,

N hoc

hoc eſt, excellentiſsima vtriuſque generis bona ſunt eiuſdem prædeſtinationis effectus. Ideo enim tot fuit Virgo oppignerata muneribus, quia in matrem Dei fuerat prælecta.

Ho. Sed cur potius hæc ad tantam fuit dignitatem prædeſtinata, quam alia?

Ang. Hæc interrogatio, niſi ex deuoto animi præ gaudio admirantis affectu aliquid de hac Virgine ſupra ſenſum ſentientis procederet; impertinens eſſet, & Theologo minus digna. Certum eſt enim, nullam huius electionis ex parte Virginis poſſe cauſam aſsignari. Quia Deus, vt veſtri aiunt Theologi, non prædeſtinat præuiſis operibus, neque opera ſunt cauſa, ſed effectus prædeſtinationis, & media neceſſaria ad finem à prædeſtinante intentum, & ab eo, qui prædeſtinatus eſt, efficaciter obtinendum. Ipſam igitur abſque merito ſui ad hanc dignitatem ab æterno præordinauit, quia ſic fuit placitum ante ſe. Non itaque ideo mons Dei, quia mons pinguis, ſed ideo mons pinguis, quia mons Dei: ideo mons, in quo Deus ſibi complacuit habitare, quia ad hoc antea fuerat prælectus.

Ad hunc montem nunc accedamus.

MARIA, MONS, IN QVO BENEPLACITVM eſt Deo habitare in eo. Vbi de maternitate Dei agitur.

CAPVT SEXTVM.

Quintus titulus.

Ho. AD tertium, terque felicem ſacræ Virginis ſtatum peruenimus, ad ſtatum inquam maternitatis Dei, in quo habet Virgo infinitam quandam dignitatem, imparticipabilem, & inacceſſam. Hinc taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem. Credo equidem huius Virginis, & ſeruorum Dei infinitum eſſe diſcrimen, vtpotè quæ ad diuinam quaſi æqualitatem peruenerit, cum cæleſti Patre communem habens Filium.

Ang. Quantus ſit Deus, ſatis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animam non miratur; pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non ſuſtinet, natura non ſufficit, & vna puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, vt pacem terris, cælis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cæleſtibus parentelam pro ipſa domus exigat penſione.

Ho. Aptè

Ho. Aptè in hanc Virginem quadrat illa Vatis admirantis exclamatio: *O Iſrael quàm magna domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius; magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus.* Quid hac Virgine grandius, quæ ſummæ diuinitatis magnitudinem intra ſui ventris concluſit arcanum? O vterum impollutum habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehenſum in te verè comprehenſum portaſti; O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti; O vterum, qui cælum es ſeptem circulis conſtans, & capacior illis exiſtis; O vterum cælis ſublimiorem, atque latiorem; O vterum habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ. O nobilitas naſcentis in virginitate parientis, & nobilitas parientis in diuinitate naſcentis. Meritò in te, ò beatiſſima, reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotẽtis quicquid creauerat, recreauit. Baruch. c. 3.

Sed hic mihi non parua oritur difficultas, circa ea, quæ dicimus controuerſans. Ego inuenio quoſdam Eccleſiæ Patres, qui dignitatem gratiæ in Virgine dignitati præferunt matris Dei, ſæpè enim in illis hæc, & his ſimilia verba leguntur. Beatior fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre; feliciùs geſtauit corde, quàm carne, &c. Si ita eſt, quomodo maternitatem Dei infinitam dicimus dignitatem? quam alia ſuperat finita, & inferioris ordinis dignitas? Vtra dignitas ſit in Virgine maior gratiæ, an maternitatis.

Ang. Tu quid dicis?

Ho. Omnino contrarium; Nam (vt Theologum agam) dignitas Matris Dei ad alias gratias, comparatur, tanquam prima forma ad ſuas proprietates; & contra, aliæ gratiæ comparantur ad ipſam, tanquam diſpoſitiones ad formam: ſed quemadmodum forma ſuis proprietatibus, & diſpoſitionibus perfectior inuenitur; ita hæc dignitas matris alijs gratijs excellentior eminet.

Ang. Si Dei maternitas, & filiatio adoptiua, vt præciſæ, & ab inuicem ſeparatæ, ad inuicem conferantur, adoptiuæ filiationis dignitas alteri præferenda cenſetur; ita vt ſi dignitas Matris Dei abſque gratia, & filiatione adoptiua, futura eſſet, melius eſſet, & eligibilius, filium eſſe Dei, quam matrem. Cæterum, quia hæc dignitas matris Dei neceſſariò gratiam, & adoptiuam includit filiationem, ipſa alijs quibuſque gratiarum prærogatiuis venit ſimpliciter præferenda. Nam ſacra Virgo prius ſecundùm rationem prædeſtinata eſt, & electa, vt eſſet

Mater Dei,quàm ad tantam gratiam, & gloriam;Ideo namque prædeſtinata fuit ad tantam gratiam , & gloriam,quia electa eſt in Matrem Dei . Et ſic mater , ſimul & filia nuncupatur altiſſimi, naturalis mater , filia verò adoptiua, vt proles ſit ſuæ matris parens,& infans genitricem longe ante procedat.

Ho Tua hæc diſtinctio omnē abſtulit controuerſiā,& verā attulit his,quæ videbātur diſcordare,cōcordiā. Ad Virginē redeo.De ea apud Angelos quænā erat opinio,eo præſertim tempore, quo nondum in ea diuini Verbi contigerat incarnatio?

Ang. Iam ab incunabulis mira illius, quod de ea futurum erat,cernebantur indicia, ac propterea grandis ſemper extitit de hac Virgine apud nos ſanctitatis opinio : optimas de ea adhuc infantula expectationes ſemper habuimus . Exiſtimatio ſui apud ſe nulla erat omnino, ſed apud ſuperos maxima, nil ſeipſam reputantem, Angeli,quàm maximè reputabant ; & licet quid de illa Deus eſſet acturus,ipſi Angeli ignorarent,ad opus tamen aliquod inſigne, ſingulare,atque actis retro ſæculis ſimile nunquam viſum peragendum à Deo,directam veniſſe, Angelos non latebat .

Apud ſuperos magna de Virgine etiā infantula ſā-ctitatis opinio.

Hæc à tertio ætatis ſuæ anno,vſque ad annos nubiles vitam tranſegit in templo , in quo fuerat à parentibus præſentata . Sed hic pauliſper tibi expedit immorari,atque in hunc modum Deo oblatam Virginem meditari . Ad limina templi adducta puellula, ſine parentum adminiculo gradus omnes modeſta celeritate conſcendit , & ante fores ſubſiſtens, ſic affari incœpit . Introibo in domum Domini , ad mundi blanditias nunquam vlterius exitura : Ingrediar in atria Dei mei, vt poſſim illi grata iugiter deſeruire, & ipſius obſequijs perpetuò mancipari . Regnum, & omnem huius mundi ornatum,omnes diuitias, atque delicias propter amorem Dei mei ex corde contemno ; carnis illecebris,& his,quæ caro expetit,abrenuncio. Illi dedico vitam meam, animam meam, corpus meum,virginitatem meam ; omnia ipſe mihi dedit,omnia illi viciſſim reddo ; Et vos progenitores mei adiuuate virginitatem meam, & nolite ex me fructum vitæ amante, fructum mortis inquirere . Vale care genitor , vale ſuauiſſima genitrix mea, valete omnes conſanguinei mei,relinquo vos propter Deum , ne relinquam Deum propter vos ; Multum debeo tibi, Pater mi, non minus tibi , dulcis mater mea, plurimis namque eleemoſynis, & orationibus me à Deo, qui me oriri nihilominus di-

Deuota admodum de Virgine in templo oblata contemplatio.

ſpoſue-

ſpoſuerat, impetraſtis: Plurimos pro me aſſumpſiſtis labores, gratiarum actiones quantum poſſum, vobis perſoluo; Relinquo vos corpore, ſed animo nunquam, quinimo Deo ſeruiendo, plus vobis inſeruiam. Valete omnes, qui vt me Domino in templo offerretis, vſque ad hunc locum vnà mecum veniſtis, vobis gratias ago, & rogo, vt pro me indigna ſerua Dei orationem Deo noſtro offeratis. Non poterant, qui aſtabant hæc audientes ſe vltra à lachrymis temperare; cerneres (talia loquente puellula) flere omnes, & præſertim parentes, ſed præcipuè Annam, quæ filiam maternis brachijs ſurſum eleuans, eamque pluries dulciter oſculata, aiebat. Filia mea dulciſſima, quænam ſunt hæc verba, quæ loqueris? quis te docuit iſta? vnde tibi puellulæ maternorum vberum adhuc pabulis indigenti ſapientia tanta? Valde diluculo in benedictionibus dulcedinis ab eo, qui me ſterilem fœcundauit, video te præuentam. O me certè beatiorem tui vnius parentem, quam ſi mille filiorum genitrix extitiſſem. Video mirabilia hodie, mirabiliora viſura, ſi vixero.

Hinc ſacerdotes nimia ſuper infantulam admiratione detenti dicebant, putasnè puella hæc erit Virgo illa, quæ iuxta Iſaiæ vaticinium concipere, ac parere debet Meſſiam tot annorum millibus expectatum? Reſpondebant alij, ſi matrem illam non tenet in cælis, de his, quæ in terra ſunt, nulla dignior, nulla hac virguncula ſanctior inuenitur. Nulla ſuper terram perfectæ ætatis mulier huic puellæ in aſpectu, in pulchritudine, in ſenſu verborum ſimilis inuenitur. Tum demum Virgo ad comitatum conuerſa dixit: Animæquiores eſtote: *Vobis enim apertus eſt Paradiſus, plantata eſt arbor vitæ præparatum eſt futurum tempus, præparata eſt abundantia, ædificata eſt ciuitas, probata eſt requies, perfecta eſt bonitas, & perfecta ſapientia.* His dictis, ac tandem dulciſſimis vtroque parenti porrectis oſculis, atque humili exhibita omnibus reuerentia, in atria Domini gaudens ſe recepit.

Iſai.c.4. Iudith.11. Eſdræ 4. c 8.

Hic ſoli Deo vacans, cunctis forma virtutis efficitur, ardentiſſimis deſiderijs, ac feruentiſſimis orationibus incarnationẽ Filij Dei inceſſanter petebat, quaſi ipſi Deo vim dulciter allatura. Et certè tanto maiore amore, meritò, & efficacia, quàm omnes veteris Teſtamenti Patres, ſola hæc Deum ad Filium mittendum vrgebat, quantò eos amplioris gratiæ cumulo ſuperabat. Magnus ſiquidem erat ardor deſiderij Patrum ſuſpiran-

rantium Chriſti in carne præſentiam, ſed ignito Virginis deſiderio comparatus, tepor eſt, non ardor.

SEQVITVR IDEM ARGVMENTVM.

CAPVT SEPTIMVM.

Ang. ARdenti iugiter deſiderio Saluatorem expectabat, non quaſi ex ſe naſciturum, quod nunquam ei de ſe humillimè ſentienti, in mentem venire potuit, ſed optans illius feliciſſimæ mulieris abiectiſſimam fore ſeruulam, quæ Deum eſſet ex ſua ſubſtantia factum hominem paritura. Et in tanta ſui abiectione perſiſtens, & vltra etiam progrediens, dum aliquando ad cæleſtem Patrem, vt filium ſuum cunctis optatum gentibus mitteret, preces, orationeſque porrigeret feruentiſsimas, oraretq. vt ſi ei, quæ tantæ prolis parens erat eligenda, obſequium exhibere, & illius non pateretur dignitas, & ſua prohiberet indignitas; eam ſaltem videre, & agnoſcere, & illius, ſi non pedes, ſaltem pedum veſtigia oſculari daretur. Sed ecce repentè (ò profundiſſima in immenſum ab eo, qui ponit humiles in ſublime, exaltata humilitas) ſe illam eſſe omnium beatiſsimam, quæ ſummi Patris filium, naturalis, & vera mater concipere, & parere debebat, Angelicum accepit oraculum.

Ho. O ſupra ſperatum inſperatum additum gaudium. Quid ſentijt Virgo illa, inopinatum tantæ dignitatis nuncium ad ſe factum audiens? quid inquam, ſentijt, cum ad ſupremam illam, quam nunquam de ſe præſumpſit, ſe euectam, altitudinem, audiuit?

Ang. Et præſertim cum ibi ſacra Virgo omnem ſuæ exaltationis gloriam, apertè Angelo reuelante, agnouerit, ſed his non obſtantibus, ancillam Domini ſe humiliter nuncupauit.

Ho. Nunquid etiam ſacra Virgo per modum tranſeuntis Deum videre meruit, ſicuti eſt, vt Beati vident in patria?

Ang. Pium eſt meditari.

Ho. Quiſnam eſt modus iſte loquendi? ſic loqueris de arcanis Dei, ac ſi te quoque laterent.

Mariam vidiſſe quandoq; diuinam eſſentiam, piū eſt meditari.

Ang. Quid ſi aliqua me quoque laterent? & præſertim hoc, videlicet Virginem aut ſemel, aut pluries ſpeculum illum diuiniſsimum mortali adhuc carne circundatam inſpexiſſe?

Verum-

Verumtamen qui aſſerunt Paulum , & Moyſen ex priuilegio ſingulari, diuinam eſſentiam per modum tranſeuntis vidiſſe , hoc idem aſſerere omnino debent de Regina noſtra,quod enim vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum , fas certè non eſt ſuſpicari,tantæ Virgini fuiſſe denegatum.

Ho. Quinimo, quia hæc Virgo in omni gratiarum genere quemcunque alium ſuperauit, mihi maximè perſuaſum eſt, ſi illi ſemel,hæc pluries Deum viderit; quid? quòd alius me audentior, audacter aſſerit, ipſam ad tertium vſque cælum raptam aliquando fuiſſe,& perfectiùs,& excellentiùs quàm Paulum,arcana vidiſſe myſteria.

Sed vos quomodo, & in quàm maxima deinceps æſtimatione hanc Virginē habuiſtis,ſummā ei reuerentiam exhibentes?

Gabriel legatione perfunctus, Virginem genuflexus adorat.

Ang. Peracto incarnationis myſterio, non ipſa apud nos, ſed nos apud ipſam,ſicut ſerui apud Dominam, illius ſeruitute nos ipſos dignos optauimus æſtimari. Hinc Archangelus Gabriel;dum ſummi Regis legatione fungeretur, maieſtas quædam reuerenda , qualem ſui muneris exigebat auctoritas, in ipſius fulgebat aſpectu : at verò legatione perfunctus , ſubditi , ac ſerui velut perſonam induens , ante Virginem genuflexus;ſic eam eſt alloquutus. Nunc ò Beatiſsima creatoris mater effecta, iure maternitatis omnium quoque creaturarum Regina,ac Domina effecta es . Et ego primò eum, qui in te,& ex te incarnatus eſt,Dei,tuique filium, Deum, ac Dominum reuerenter adoro , deinde te , vt Creatoris matrem condecet adorari;Reginam, ac Dominam mei,meorumque conciuium , ſubditus,ac ſeruus adoro . Hæc illo loquente,magna cæleſtium ſpirituum adfuit multitudo,ipſam Virginem Reginam, ac Dominam acclamantium . Iamque celebrato ineffabili incarnationis myſterio,diſceſsit ab ea Angelus, & ille,quem cæli capere non poterant , intra illius viſcera clauſus remanſit factus homo .

Ho. O quàm familiaris Deo facta es Domina,quam proxima,imò quàm intima fieri meruiſti , quantam inueniſti gratiam apud Deum; in te manet,& tu in eo, & veſtis eum,& veſtiris ab eo,veſtis enim eū ſubſtantia carnis tuæ,& veſtit te ille gloria ſuæ maieſtatis; veſtis ſolem nube,& ſole ipſa veſtiris. Tunc Domina, amicta ſole fuiſti, quando tibi virtus altiſsimi obumbrauit,illumq.intra vterū cōcepiſti, qui intra omnia,extra omnia,ſuper omnia,& infra omnia incōprehenſibilis exiſtit.

Pulchra ſimilitudo.

Angele Dei, hac ego ſimilitudine Filium Dei illuc ingreſſum, & egreſſum inde contemplor. Quemadmodum Rex ſolemnem volens ingreſſum facere in aliquam ciuitatem, ad ipſius capeſſendum dominium, non ſtatim, & improuiſè ingreditur, ſed in aliquo honorifico ſiſtit hoſpitio extra ciuitatem poſito, vbi ſe præparat interiùs, & exteriùs ſe componit, regalibus ſe induit, ac tandem ambitioſo apparatu, cunctis fauſta interim acclamantibus, ingreſſum facit, ita regiam præferens maieſtatem, vt ſimul etiam benignus, & humanus appareat.

Ita Chriſtus Rex pacificus, volens mundum aduentu ſuo pijſſimo conſecrare, & in ſui poſſeſsionem redigere, antea poſſeſſum à dæmone, prius in quoddam honorificentiſsimum ſe recepit hoſpitium, vel extra mundum, vel in ipſius mundi confinio conſtitutum, ideſt, in Virginem beatiſsimam, cuius corpus nouem menſium tempore hoſpitium Chriſti fuit, anima verò à ſui creatione vſque in æternum æterni numinis maieſtati in templum conſecrata fuit; in hoc igitur hoſpitium Rex pacificus, vt feſtiuiſſimum in mundum pararet ingreſſum, ſemetipſum exinaniuit, non deponens, ſed occultans deitatem, forma ſerui accepta, ac tandem nouem ibi menſibus commoratus, inde tanquam ſponſus de thalamo ſuo, candida humanitatis veſte proceſsit indutus, ita regiam occultans maieſtatem, vt ſola humanitas, & benignitas appareret Saluatoris; acclamantibus interim Angelis, gloriam Deo canentibus, gaudium, pacemque hominibus nunciantibus.

Ang. Non minus vera, quàm deuota eſt hæc tua meditatio; cum enim auditum eſſet in cælis, & celebri ſermone vulgatum, nouam Regis noſtri ante Luciferum geniti, ſecundum carnem, inſtare natiuitatem, protinus naſcenti illi adfuimus omnes, eumque Deum hominem; Deique Filium ſponte noſtra, Patre quoque iubente ſuppliciter adorauimus, atque illi, tanquam noſtro vnico, ac legitimo principi iuramentum fidelitatis iurauimus, vel potius iuratum antea in contradictione ſatanæ confirmauimus.

Ho. Cæleſti vos harmonia Virginem oblectaſtis, & illa ſuo viciſsim cantico ſuperos delectauit. Sed virginea ne Angelos, an Angelica Virginem magis cantica oblectarunt? Ego certè illo ſacræ Virginis cantico, quod iam Deo plena emiſit, ita arbitror Angelos delectatos, vt à proprio ceſſarint tantiſper concentu, ſed quid dico? Concentum cæli dormire quis faciet?

Ang. Alius

Ang. Alius vtique melior præſtantioris cæli concentus, ſcilicet huius Virginis,quæ cælum eſt animatum; Hæc vt primùm feruida charitate, & iucunda exultatione in lætiſſimæ iubilationis vocem prorupit dicens: Magnificat anima mea Dominum. Illico eius canticum tota rerum congeriem, & cælica præſertim clauſtra intimè penetrauit; quapropter ſyrenæ illæ dulciſonæ, quæ concentum cæli faciunt,ſuauiore attractæ, ac delectatæ Virginis armonia, tacuerunt,& velut extaſim paſſæ,noſtra interim canente ſyrena,ac dulcem illis paulatim inſtillante ſoporem, dulciter dormierunt, nec eis deinceps, quouſque ſuum Virgo canticum non expleuit,meloſque continuit, licuit expergiſci, cantumque reſumere. Eſt aliud quoque canticum nouum,vnicum,& ſingulare,quod ſola inter Matres,& ſola inter Virgines,canit Mater Virgo:Cantat enim inter matres canticum virginitatis, & inter Virgines canticum fœcunditatis, hoc eſt verè canticum pluſquam nouum,& canticum canticorum,quod nemo poteſt dicere Agno, niſi illa,quæ peperit agnum. Hoc eſt ſingulare Virginis priuilegiũ, nulli vnquam communicatum,neque communicandum in poſterum,quod ſcilicet Mater ſit inter Virgines; & inter Matres Virgo, & ob hoc Virgo virginum, & mater matrum;cui dicitur,quàm pulchra es, & quàm decora cariſſima; quàm pulchra in virginitate fœcunda, & quàm decora in fœcunditate virginea. Hic Virga floruit abſque germine, & Virgo concepit non ex homine: nec virgæ virorem floris læſit emiſſio,nec Virginis pudorem ſacri partus editio.

Ho. Angele, ſi placet, dulce quoddam colloquium de aduentu ſponſi à ſponſa cum paſtoribus habitum te audire deſidero.

Ang. Nullibi tam commodè,& oportunè quàm hìc interponi poterat. Sileamus nos paulisper,& audiamus ſponſam de ſponſo cum Paſtoribus colloquentem.

COLLOQVIVM SPONSAE CVM PASTORIBVS, de Meſſia aduentu.

CAPVT OCTAVVM.

Spon. SAluete humile hominum genus,Deoque ſemper acceptum.Ad quid ſic feſtina venerim,ſcire vos credo.

Nunciatum eſt mihi,vos admirabilem quandam Angelorum viſionem tranſacta nocte vidiſſe,& quædam celſiora Dei arcana vobis oſtenſa fuiſſe, necnon & diuiniſſimum quiddam ſpectaſſe; Ego autem nimia dilecti mei ſollicitudine anxia ſupra modum cupio me fieri à vobis de his omnibus certiorem; namque hæc ſcire mea intereſt quàm maximè,quæ per tot annorum centurias dilecti mei præſentiam ardentiſſimè ſuſpiraui. Quapropter dicite mihi,obſecro,virorum beatiſſimi dicite quem vidiſtis? annunciate mihi,in terris quis apparuit?

Paſt. Apparuit benignitas Saluatoris noſtri Dei: venit optatiſſima illa temporis plenitudo,qua completum eſt antiquum deſiderium collium æternorum, quem vaſti cæleſtium ſphęrarũ ſinus ſuo nequeunt ambitu continere,exiguo ſpectauimus detentum corpuſculo, de creatura ſua Creatorem omnium procreatum; ante Luciferum genitum recens natum vidimus, & choros Angelorum gloriam Deo canentes, pacemque hominibus nunciantes.

Spon. Nuncios pacis,quàm de cælo expecto,mihi vos eſſe deſidero, ſed quorſum hæc tam ſublimi incepta principio, & alto eructatis pectore,quæ vidiſtis? Quæ nam tanta ab heri,& nudius tertius de repente mutatio? Quæ nam hæc loquendi profunditas,ſermocinandi ſublimitas? Vbi tanta eſt cum ruſticitate barbaries? Tranſcendunt hæc humanæ eloquentiæ facultatem, ſuperant hæc ruſticæ intelligentiæ captum: hoc nouum,veſtrique paribus inſolitum loquendi genus oſtendit vos à Patre luminum radiatos ſuperno interfuiſſe conſilio, abſtruſa penetraſſe arcana, diuina intellexiſſe myſteria, natumque inſpexiſſe Meſſiam. Sed eſto hæc ita ſe habeant,nimium mihi ſuccinctè, nimia mihi breuitate loquimini, non ſufficit hoc amanti, non ſufficit hoc amore languenti, dilectique ſui præſentiam per longa tempora ſuſpiranti. Adiuro vos,non vltra per capreas, ceruoſque camporum, ſed per Deum viuum, vt nuncietis mihi,ſi dilectum meum vidiſtis,quem expecto,quem quæro,quem diligit anima mea.

Paſt. Quis eſt quem diligit anima tua? Qualis eſt dilectus tuus,ò pulcherrima, qualis eſt,quia ſic nos dulcitèr indignata, amoriſque impatiens adiuraſti? Quid nos cauſaris ſi expectas,ſi quæris,& non inuenis,quem diligit anima tua? Admiraris tu nos præter paſtorum ſolitum allocutos, nos pariter admiramur te præter vſum ſoliuagam vociferantem curſita-

ſitare per campos, nonne audis totam vndique regionem tuis reſonare lamentis, ac reflexa per caſſum aeris tua reſpondere ſuſpiria? Sed fortaſſe vna, & eadem eſt vtriuſque nouitatis cauſa,qua & nos loquimur præter ſolitum,tuque præter vſum vagaris, & flamma, qua intus ardes, foris incenſa oſtenderis. Petis ergo,immo adiuras, vt nunciemus tibi,ſi dilectum tuum viderimus,& quomodo quem vidimus, an ſit dilectus tuus, tibi nunciare valemus, niſi prius nouerimus, quæ ſit effigies, quæue,& qualia ſint tui lineamenta dilecti.

Spon. Mei lineamenta dilecti hæc ſunt,hæc illius effigiès: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus; caput eius aurum optimum; oculi eius ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lotæ ſunt lacte, & reſident iuxta fluenta pleniſsima; genæ illius areolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs; labia illius lilia ſtillantia myrram primam; manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis; venter eius eburneus, diſtinctus ſapphyris; crura illius marmorea,quæ fundata ſunt ſuper baſes aureas; guttur illius ſuauiſsimum.* Et totus deſiderabilis,præ cunctiſque formoſus. Cant.c.5.

Paſt. Formoſum præ cunctis vidimus, *candidiorem niue, nitidiorem lacte,rubicundiorem ebore antiquo, ſapphyro pulchriorem*; cuius aſpectus corda ſe intuentium rapit; cuius vultum deſiderat vniuerſitatem, cuius pulchritudinem ſol, & luna mirantur, cuius ſpecies digna eſt imperio, caput eius, cæteraque membra,& ſi adhuc infantilia, talia ſunt,qualia dilectum tuum habere dixiſti, & vt paucis dicamus,vidimus infantem cunctis Adæ filijs pulchriorem. Thren.c.4.

Spon. Pulchrior dilecto meo non eſt alius, cum ipſe inter formoſos formoſiſſimus habeatur, quem vos ergo vidiſtis,ille eſt dilectus meus. O me felicem, ò me tandem beatam; quæ audio? quæ verba in auribus meis hodie perſonant? non poſſum vltra me cohibere lætitia, viſcera mea diuina quadam ſuauitate, & amore quodam interno mihi liquefieri iam ſentio; cor meum, & anima mea deficiunt: fulcite me floribus, ſtipate me malis,quia amore langueo. Veniſti Sponſe,veniſti tandem per tot annorum centurias expectate. O felices, ò fortunati paſtores, vos omnium primi, quem tot viri ſanguine,& ſanctitate illuſtres cupierunt videre,vidiſtis. O ſimplex, Deoque carum hominum genus, non hoc innotuit elatis huius mundi principibus, ſed vobis, genus electum, qui ſemper

de ſecreto concilio ſummi Regis fuiſtis, quibus Deus, dimiſſis, repudiatiſque ſuperbis, ſua ſemper reuelauit arcana. Sed verum ne eſt quod nunciaſtis mihi? Verè quem diligit anima mea vidiſtis? Si ipſe eſt, dicite ei, dicite dilecto meo, quia amore langueo.

Paſt. Amore ſiquidem langues, amoriſque ſtimulis agitaris, & hoc eſt amore languentis proprium, vt nunquam adeſſe credat, quem ſummopere adeſſe deſiderat; vt nunquam cernere, alloqui, & amplecti ſé poſſe exiſtimet, quem cernere, alloqui, & amplecti ardentiſſimè cupit. O ſponſa vidimus dilectum tuum, ſi talis eſt, quem dicis, quid vltra hæſitans mœrore conſumeris? Quid fluctuas, & cogitatus tui adhuc in diuerſa mutantur? Deſine lachrymabilem querimoniam, viduitatis ſignum, habitumque depone, excutere de puluere, induere veſtimentis lætitiæ tuæ, iucundare, & exulta ſatis, præteritæ afflictionis, tranſactique mœroris oblita, & vera tibi nunciantibus crede; non enim tibi audita referimus, ſed viſa teſtamur. Tu ergo teſtibus per viſum indubitatam adhibe fidem.

Spon. Fidem adhibeo indubitatam vobis vera mihi narrantibus, dilectum meum aduenisse, & vos eum vidiſſe, inſuper & adoraſſe credo: attamen amor quod ſuum eſt, operatur; ego enim non ex eo quod incredula ſim, adhuc ambigere videor, ſed propterea quod aliquid ſupra ſenſum ſentiam, quod præ nimia amoris magnitudine, nec abſcondere poſſim, nec ſermonibus aperire. Vos me exhortamini, vt præteritorum triſtium, veterumque malorum oblita, iucundari, ſatiſq. exultare incipiam, rectè ſiquidem exhortamini, ecce iam triſtia cuncta mihi conuertentur in gaudium, namque adeſt, qui me conſoletur lugentem, & oculos meos fletibus inundantes abſtergat: ille mihi dabit *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris*. Mihi ergo, & compatimini interim, & congratulamini ſimul, & ſi gratia aliqua me apud vos arbitramini dignam, rogo, vt cuncta, quæ vidiſtis, mihi ad punctum vſque narretis.

Iſai. c. 61.

Paſt. Narrabimus cuncta ad punctum vſque quæ vidimus; at non ita ſiccis oculis id præſtare poterimus, quin ſæpius lachrymarum eos imbre madentes contracta in rugam veſte ſiccemus.

Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu *medium* iter haberet, nos in regione Bethleemitica iuxta

quan-

quandam vetuſtiſsimam turrim, quæ dicitur, Ader, ideſt, turris gregis, diſtantē à Bethleem mille circiter paſsibus, morabamur, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem noſtrum: cum extemplò noua quadam dulcedine, & inſolito quodam gaudio affecti hilareſcimus cuncti, huius rei cauſam prorſus ignorantes, moxque innatus nocturni temporis horror aufugit, & ipſa algentis, & rigidæ noctis aſperitas, in ſuauem quamdam temperiem tranſmutatur; & ecce formoſus iuuenis aliger, qui Angelum Domini ſe eſſe dixit, ſtetit iuxta nos, & claritas Dei in medijs ſplendeſcens tenebris circumfulſit nos, ſtatimque clariſsimæ lucis radijs circumquaque diffuſis nox tanquam dies illuminatur: nos verò ex tam mirabili, & inopinato tantæ nouitatis euentu timuimus, & expauimus ſupra quàm credi poteſt; at confeſtim Angelus incuſſum timorem pellit, & quos ſuo tenuerat aſpectu, verbis dulciſsimis conſolatur: Nolite, inquit, timere, neque ſuperni nuncij abhorrere præſentiam, gaudium, non timorem, vobis nunciaturus aduenio.

Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus; atque iterum magis gaudete, quia non procul à vobis natus eſt, ſed in Ciuitate Dauid, quæ eſt Bethleem, cuius vos nunc pinguia incolitis rura, vt citò eum videre poſsitis; & hoc vobis ſignum, & argumentum, me vobis vera nunciare. Stat ædificium quoddam antiquum, propter nimiam vetuſtatem ſemirutum, præfatæ Ciuitatis mœnibus attiguum, illuc vſque quantociùs properate, & inuenietis infantem, non tyrio exceptum oſtro, ſed pannis ſquallentibus inuolutum, non in ornatis auro ſtratorijs, ſed poſitum in præſepio. O ſponſa quid hoc nuncio iucundius, quid gratius?

Spon. Nihil gratius, nil iucundius eſſe poteſt, & præſertim mihi, cui nihil vltra expectandum, nihil deſiderandum ſupereſt, niſi, vt oſculetur me oſculo oris ſui. Tempus erat, quando ob dilecti mei abſentiam amarè amaro animo flebam, & præ ſingultibus vehementer erumpentibus non poteram verba, niſi intercisa, euoluere: modo verò, & ſi præ magnitudine gaudij lachrymas continere non poſſum, tamen dulciter dulci animo emittuntur; tunc dolor verba intercisa dictabat, nunc amor incompoſita ſuggerit.

O felices felicis noctis cuſtodias, quibus Angelos, & Angelorum

lorum Dominum contigit videre; nunc completum eſt vatici-
Iſai c.9. nium illud : *Populus,qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam,ambulantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt,eis.* O ſacratiſsimam , & nunquam ſatis laudatam noctem, totius orbis gaudium. Sit nox illa benedicta, & omni laude digna, primaque computetur in diebus anni , quæ prima dilecti mei principium dedit ætati. Non ſit nox illa ſolitaria, ſed Angelorum ſemper frequentia comitata: noctem illam , qua ortus eſt ſol iuſtitiæ , non caligo non tenebroſus turbo , ſed iugis eiuſdem ſolis ſplendor poſſideat,nec expectet,ſed feſtinatum videat ortum ſurgentis auroræ.

Paſt. Feſtinatum vidimus ortum ſurgentis auroræ nocte illa; aduertimus enim præter ordinem ſolem feſtinum aduentaſſe, atque prius lucem mundo protuliſſe, quàm noctem curſum ſui temporis conſumaſſe. Sed vt ad propoſitum redeamus; poſt Angelicum nuncium aduolans cæleſtium ſpirituum multitudo conſono in laudem Creatoris ore prorupit, & hæc potiſsimum verba inter ſuaues, dulceſque cæleſtis harmoniæ concentus audiuimus. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ac poſtremo ad æthereas illis redeuntibus ſedes; mille aliæ dulciſonæ in propinqua aeris regione inſonuere voces, hæc articulantes verba: Quid moramini ò Paſtores? feſtinate, viſum pergite Regem veſtrum; vos eum laudibus celebrate, quem laudant aſtra matutina, & iubilant omnes filij Dei. Vos iubilare magis, vos collaudare decet altiſſimum, ob maximam illius largitatem, ac propter admirandum ſuæ ad vos diuiniſſimæ prolis in carne profectæ beneficium, collatum non Angelis, ſed hominibus; non enim Chriſtus Angelis, ſed hominibus, non filijs Dei, ſed filijs hominum Redemptor natus eſt.

Spon. Redēptor natus eſt Chriſtus non Angelis, ſed hominibus; & ſi enim Angelus, & homo ſuperbiendo ceciderint, tamen hunc Deus aſſumpſit miſericorditer redimendum, illum dereliquit iuſtè æternaliter cruciandum; ideoque nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemē Abrahæ, quapropter tāto magis præ Angelis filios Abrahæ exultare oportet, quantò maiora in hac natiuitate ſibi præ illis agnoſcunt præſtita beneficia.

O mira circa hominem perditum diuinæ pietatis dignatio, ò admiranda dexteræ excelſi mutatio: homo qui tam humili loco tenebatur, vt deſcendere non poſſet, vlterius, ad tam ex-

celſam

celſam ſedem eleuatur, vt vlterius non poſſit aſcendere.

O immenſa Dei bonitas; homini quondam abiectiſſimo, extruſo à paradiſi ſedibus, per longa exilia moranti, in puluerem, & cinerem diſſoluto, cui non erat ſpes vlla viuendi, per aſſumptam filij Dei humanitatem poteſtas data eſt, vt de longinquo ad ſuum reuertatur auctorem, liber efficiatur ex ſeruo, de extraneo prouehatur in filium, & obtineat per gratiam, quod non habet per naturam.

Si igitur dulciloquæ illæ ſyrenæ gloriam in altiſſimis Deo canunt, pro tanto hominibus exhibito beneficio, quid eoſdem homines facere, quas gratias referre, quibus laudibus Deum celebrare oportet? Exultent igitur filij, & filiæ Sion in Rege ſuo, gratias illi referant immortales, ſummiſque laudibus celebrent, ac modulatis organis dulce in occurſum Sponſi pergentes epithalamium canant, hymnos ſuauiſſimos perſonent, ſignaque lætitiæ vbique relinquant.

Paſt. Signa vbique lætitiæ, & Angeli reliquerunt, & creata cuncta, nocte illa, dederunt; ſtellæ fulgentiùs ſolito cum iucunditate fulſerunt; melliflui facti ſunt cæli; dulcedinem ſtillare montes viſi ſunt, & colles lacte, & melle manare; deſerta, & inuia lætata ſunt; exultauit ſolitudo, & floruit lætabunda quaſi lilium; vineæ quoque Engaddi præter naturæ curſum nocte illa florentes, ſuauiſſimum efflauerunt odorem, ac fructum balſami protulerunt. Denique ſublunaria cuncta pulcherrima viſibilium ſpecie, ac ornatiſsima ſua mutabilitate alternatis vicibus exultarunt; & nos pariter gaudentes, ouibus, ſocijſque relictis, verſus Bethleem ad viſendum puerum feſtinamus, interim de his omnibus quæ acciderant colloquentes.

SECVNDA PARS COLLOQVII.

CAPVT NONVM.

Paſt. Sed ò rem prorſus mirabilem, ſpectatuque horrendam; dum ſic pergimus læti; ecce horrida quædam monſtra obuiam nobis venientia cernimus, quibus propè accedentibus fœdas fœminarum facies in ipſis paulatim diſtinguimus; ac tandem tres turpiſſimæ fœminæ noſtris ſe obiectant aſpectibus, anguibus crinium vice redimitæ, & nuda circumdant

dant colla pro torque ſerpentes; atrum mixtum igne vaporem ſordida ſpirant ora, ferrea lux intus tranſparet in oculis ferrugineos quoſdam emittens interdum radios; expanſis, comploſiſque manibus vlulant,ſtridunt, tabeſcuntque ſuffoſſæ veneno, & ſolus luctus comitatur euntes. O quales fuimus tunc ad ſpectaculum iſtud.

Verum nondum horribilium finis: poſt hæc ecce, & alia penè innumera teterrima cernimus monſtra,cateruatim fugere,diſſonis vocibus,ſtridoreque tartareo vlulantia,quæ cuncta in vnum conglobata, Angelo flammeo gladio ea cogente, aperta in verticem terra ſulphureis inde erumpentibus flammis,magno impetu auentitia in præceps, tetrum petiere profundum; quibus in baratrum pulſis,Angelus, qui ea inſecutus fuerat,ſic voce magna clamauit: Nunc princeps huius mundi eiectus eſt foras.

Spon. Principem huius mundi eijciendum foras, Principe Regum terræ naſcente certiſſimum erat. Sed quid poſt horrida illa monſtra in profundum deiecta?

Paſt. Poſt horrida monſtra in profundum deiecta, quia vrgebat nos ingens puerum videndi cupiditas, ne ad punctum quidem retardari potuimus,ſed intrepidi,ac celeres reliquum viæ confecimus. Cumque ventum eſſet ad rupem illam beatiſsimam ab Angelo præmonſtratam; ecce nouas intra nos experimur impreſsiones, viſcera ſuaui quadam teneritudine commouentur,erumpunt ab oculis lachrymæ,inundatio gaudij,vis amoris,torrens voluptatis totaliter nos obtinuit, operuit,penitùs inebriauit,corda noſtra frequentioribus, & inſolitis motibus tremula quatiuntur, ſingulaque corporis membra ſuis quibuſque viribus deſtituta emarcuere, atque obriguere trementia,& ſic ſubmiſsis vultibus, pauidi, inopeſque conſilij,ante limina ſiſtimus.

Spon. Pauidos, inopeſque conſilij vos ante limina ſiſtere illius antri beatiſsimi, fuit euidens diuinæ, quæ ibi latebat, maieſtatis indicium;alioquin nunquid vile, & paſtorale tugurium paſtores,vel gaudio,vel timore afficere poſſet? Si enim opulentum aliquod, amplumque palatium, cuius eſſent auro tecta fulgentia, ingredi, & Regem ſublimi conſiſtentem ſolio alloqui neceſsitas compuliſſet,talia vobis accidere potuiſſent, ſed nihil horum ibi. Quod autem nocte beata omnia ſuo modo gaudium protulerint, hoc decentiſsimum fuit, vt & inſenſibilia

ſibilia factorem ſuum ſentirent, viſibiliter apparentem, eiuſq. in carne natale quoquo modo poſſent, celebrarent. Sed quid poſt hæc actum fuit? auſi ne, an vocati ſpeluncam illam intraſtis?

Paſt. Non auſi, ſed vocati ſpeluncam illam intrauimus; Senex enim quidam venerandus, exiliens, ad nos protinus venit,& oſculatus nos,ſic alloqui gemibundus incœpit: Filij,qui nam eſtis, ad quid venitis, & quem quæritis, ſcio. Vos inter cunctos mortales electi eſtis, & præordinati à Deo teſtes fideliſsimi natiuitatis filij ſui; ipſe enim Deus,cui ſemper humilium deprecatio placuit, & cuius ſermocinatio cum ſimplicibus eſt, vos Regibus cunctis, cunctiſque ſuperbis præferens, diuiniſsima hæc pietatis ſacramenta ab illis abſcondere, vobis autem reuelare conſtituit. Confidite ergo, confidite filij, membra ſolidate trementia, artus fouete rigentes, ſoluite corda metu, & calidus redeat circum præcordia ſanguis. Ingredimini,& videte oculis veſtris verbum Dei carne indutum. Ingredimur poſt ſenem; & in primis puella quædam pulcherrima noſtris ſe obiecit aſpectibus, beatiſsima ſcilicet infantis parens, quæ & ipſa aſſurgens nos benignè excepit, cui viſionem,quam vidimus,& cuncta,quæ nobis ipſa nocte acciderant, expoſuimus: accedimus Matre inuitante ad præſepium, hinc boue, illinc aſino ſtabulantibus,medium autem infantem pauperculis inuolutum pannis, ſupra fœnum iacentem, ac dulci ſopore detentum cernimus, qui ſtatim expergiſcens, apertiſq, luminibus,ſuum in nos gratiolum iniecit aſpectum. Moxque illius, ac noſtri pariter oculi mutua ſeſe acie feriunt; ille ſui corpuſculi motu ſolui ſe geſtiebat, & modis omnibus,quibus poterat, noſtris ſe velle amplexibus recipi indicabat: eleuat illum Mater,bis atque ſemel oſculans,nobis porrigit oſculandum: nos eum ſuſcipimus, amplectimur, oſculamur, genuflectimur, adoramus, reddimus illum Matri, fouet illa infantulum,ingeminat oſcula adiungit pectori,admouet ori mammas diuinitùs lacte tumentes. Quid plura? tunc animi,nunc verba deficiunt.

Prouer. 3.

Spon. Deficio, vim patior, & anima mea ad hunc verborum ſonum liquefacta eſt. O Sponſe, ò dilecte, verum nè eſt quod audio? poſt vberes effuſas lachrymas, poſt tantos clamores,gemitus,atque preces,poſt tot tranſacta annorum curricula, veniſti tandem,veniſti, vt hominem perditum repara-

res,& mihi coniugij nodo indiſſolubili iungeretis, meque tibi charitate perpetua deſponſares. O Paſtores, nunc ſomnij, quod iamdudum videram, recordor, & verificari iam cerno. Dormienti igitur mihi, corde interim vigilante, aſtitit dilectus meus fulgentiſsimus, atque pulcherrimus, quem inter alia verborum lenimenta, ſic affatum memini: Dilecta mea, quare dixiſti in corde tuo, dereliquit me dilectus meus, & oblitus eſt
Iſai. 49. mei? *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui*, & propterea *in manibus meis deſcripſi te.* Noli igitur vltra mœrere, Sponſa, noli vltra ob dilecti tui ab-
Iſai. c. 9. ſentiam contriſtari; *quia ecce ego ipſe, qui loquebar, adſum* impleturus promiſſa, teque mihi in ſempiternum ſponſurus. Nunc dilecte mi pro totius gaudij complemento, quis mihi det, vt videam te, quemadmodum & iſti, ſugentem vbera Matris tuæ? Sed vos quantum temporis impendiſtis in commercio illo beatiſsimo, & dulciſsimo?

Paſt. Commercium illud, & ſi dulciſsimum, citò tamen derelinquere, & quam primùm regredi cura gregis vrgebat; attamen duabus circiter horis ibi fuimus, quo tempore deifica illa diuini paruuli præſentia ſic noſtros occupauerat oculos, ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in hoc ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur. Hinc Maria (hoc enim nomine appellatur Mater illa ſanctiſsima) puerum ſuis tenens amplexibus profundiſsima de ipſo filio nobis referauit arcana: Hinc rurſus ſuis ſuper filio commotis viſceribus, non valuit vltra ſe continere à fletu, ſed tota diuino amore ſuccenſa, profundum emittens alto ex corde ſuſpirium, flenſque largiter, lachrymarum imbre perfunditur.

Spon. Lachrymarum imbre perfundi vos etiam video, talia mihi narrantes, ac diuino vos ſuccenſos amore cognoſco: ſed non miror; quis enim lachrymas contineret, quis non totus arderet amore, talia audiens, talia videns, talia ſentiens, quæ vos vidiſtis, audiſtis, experti eſtis? Si tantus fuit ardor deſiderij Patruum ſuſpirantium filij Dei in carne præſentiam, quantus erit amoris ardor intuentium Dei filium indutum carne præſentem? Si tantum veteribus Sanctis accenderat deſiderium promiſsio, quantum vobis gaudium putamus attulerit eiuſdem promiſsionis exhibitio? quod illi ſalutantes à longe per ſpeculum in ænigmate inſpexerunt, & gauiſi ſunt, vos

propè

propè adorantes,reuelata facie, in aperto vidiſtis, quantum gauiſi eſtis? O quàm multi Reges, & Prophetæ cupierunt videre,quæ vidiſtis,& non viderunt, audire, quæ audiſtis, & non audierunt;& tamen in ſola ſpe diuini amoris igne exarſerunt, quid igitur vos? Vidiſtis Matrem illam beatiſsimam, quam poſt dilectum meum videre Sancti omnes ardentiſsimè cupierunt; vidiſtis,inquam auroram illam optatiſsimam,iam mundo tenebris circumfuſo illuceſcentem. O quàm multa,& ſanè admiranda vobis promere poſſem de Matre illa omnium beatiſsima fœminarum. Luc.10.

Paſt. Omnium beatiſsimam fœminarum fœminam hanc prædicauit nobis,ſenex ille, qui nos in antrum introduxit,qui etiam eiuſdem puellæ ſponſum ſe eſſe dicebat. Nos igitur tot mirabilibus de puero ab eadem eiuſdem pueri genitrice auditis,& flente illa præ gaudio,infante iterum adorato,ſalutatiſq. parentibus,cura gregis vrgente regredimur.

DE IMMVNITATE VIRGINIS *à peccato originali.*

CAPVT DECIMVM.

Ang. SAtis ſponſam,ſatiſque paſtores de ſponſo audiuimus colloquentes.

Ho. Mihi nec ſatis, nec multum locuti, ſed vix loqui incœpiſſe videntur, tanta, eos audiens, ſpirituali voluptate tenebar.

Ang. Non quæ illi dixerunt,ſed quæ nobis dicenda ſuperſunt, eos tanquam ſatis, ſuperque locutos,vltra progredi non permittunt.

Ho. Ex his, quæ nobis dicenda ſuperſunt, vnum potiſsimum eſt,quod,quia nunquam dicitur, ſemper dicendum erit; nam ego tribus vicibus illud quaſi obiter,ſed reuera conſultò, & ex induſtria, Angelicæ ſapientiæ declarandum,ſoluendumq. propoſui, ſed quoties id tentaui, toties tu ad alia diuertiſti ſermonem,non ſine prouidentia,vt puto.

Ang. Quodnam eſt illud?

Ho. Immunitas Virginis à peccato; an videlicet Virgo quemadmodum ab actuali, ſic fuerit ab originali quoque immunis. Nunc tandem de hac veritate me certiorem fieri,om-

ni qua poſſum inſtantia, genuflexus expoſco.

Ang. Quæ eſt tua de pia hac lite ſententia?

Ho. Sententia non tam mea, quàm totius ferè Eccleſiæ, non quidem iuſſa credi, ſed piè credita, eſt, quòd nox illa infelix originalis peccati, cunctis Adæ filijs ſuperpoſita, mortales omnes ſub dæmonis poteſtate conſtituens, cuius caligine ſtellæ, hoc eſt, animæ electorum in ſuis ſtatim primordijs obtenebrantur, quemadmodum expectauit, & non vidit lucem, ideſt, Chriſtum, ita nec ortum ſurgentis auroræ, ideſt, Mariæ Virginis, quæ conſurgens aurora in canticis nuncupatur: Abſit enim, vt auroram hanc diuiniſsimam, veri luminis præuiam, ſummi ſolis, æternique diei prænunciam, ac Matrem lucis in tenebris aliquando fuiſſe dicamus; Tu verò quid dicis?

Regula obſeruanda, cũ de priuilegijs conceſſis Virgini agitur.

Ang. Cum de Matre Dei, eique indultis gratijs, conceſſiſque priuilegijs agitur, quicquid vera ratione tibi melius occurrit, ſcias hoc Deum magis feciſſe, quàm non feciſſe.

Prima ratio.

Ho. Mihi vera ratione melius occurrit, nullum gratiæ beneficium alicui collatum, huic Virgini fuiſſe denegatum; At verò creari in gratia eſt magnum gratiæ beneficium, vobis Angelis, & noſtris etiam primis collatum parentibus, tale igitur beneficium non fuit huic Virgini denegatum; Siquidem maior dilectio maiora illi, cui impenditur, ab eo, qui diligit, exigit beneficia; ſed Virgo omnium prima in amore, nulli ergo in donis ſecunda. Quòd ſi non fuit ſacra Virgo à peccato in ſua conceptione immunis, ſed poſtmodum mundata, antequam nata, nihil igitur Deus diſcreuit inter ipſam, & alios quoſdam conſimile beneficium conſequutos. Si Virgo poſt contractum originis crimen fuit ſanctificata, quid ei magis, quàm Ioanni, quàm Ieremiæ, collatum eſſe dixerimus? ſi munus præcurſoris exigebat in Ioanne ante mundari, quàm naſci; munus maternitatis Dei, quod dignitate in infinitum diſtat ab illo, non aliquid amplius exigebat in Virgine? Ioanni immunitas congruit à contracto, & Virgini à contractione non congruit? Maternitatem Dei, quæ vni tantùm conferri poteſt, Deus contulit huic vni; igitur immunitatẽ à peccato, quæ omnibus præſtari poteſt, præſtitit huic vni. Denique cui Pater vnigenitum dedit, vt eſſet communis vtrique filius, quomodo non eidem omnia cum illo donauit?

Regula à te propoſita amplam mihi ſuppetit ratiocinandi materiã, ſed neſcio, an corã Angelo vltra progredi mihi liceat.

Ang. Dum-

Ang. Dummodo non habeas pro dentibus gladios, nec Momi fungaris officio, libet quantum vis.

Ho. Mihi vera ratione melius occurrit, quòd Deus, & natura de poſsibilibus faciunt ſemper id, quod melius eſt, ſed melius eſt eam, quæ erat præſeruanda ab omni culpa actuali, præſeruari quoque ab originali, igitur iuxta hanc regulam, ſic Deum feciſſe credendum. Originale namque peccatum actualium peccatorum mater eſt, at cum huius peſsimæ matris nunquam eſſent filij in Virgine naſcituri, quo iure mater ipſa hoſpitari debuiſſet in Virgine? quomodo cum maternitate Dei, peccati maternitas bene concinit? An ſatis ſibi conſtent, ignoro, qui originalis criminis ream, ſed à veniali culpa immunem aſſerunt ſacram Virginem extitiſſe. Nullam, nec leuiſsimam quidem venialis culpæ maculam immaculatæ Virgini inhæſiſſe fatentur, at originale peccatum, quod animi pulchritudinem corrumpit, charitatem reſtinguit, mortem affert, & Dei odiũ homini accerſit, contraxiſſe aſſerere non verentur. Si decens fuit, vt leuiſsimæ quæque venialium culparum maculæ à Virgine procul fierent; dignius certè, atque decentiùs longè erat, vt peſtilens originalis culpæ labes ab eadem quàm longiſsimè arceretur. Eam in veniale incidiſſe nefas eſt arbitrari, & in originis crimen lapſam, peccati ſeruam, Deo inimicam, maledicto obnoxiam, ipſique dæmoni, vel per vnum inſtans aliquando ſubiectam fuiſſe arbitrabor? arbitrentur illi, quos ego non culpo, ſed relinquo nec laude dignos, nec vituperatione obnoxios. Secunda ratio.

Vas illud electiſsimum, atque mundiſsimum diuina mox gratia implendum, Deoque corporaliter contenturum, vel vnius, & leuiſsimi actualis peccati macula infici non debere, omnes vnanimes conclamamus, & nihil intereſt, ipſum contracta originis fœditate extitiſſe infectum? Quid eſt hoc? excolare culicem, & integrum deglutire camelum. Quid igitur? Hoc oportuit denegare, & illud non aſſerere, nimirum ſuſtinuiſſe iuſtitiam, vt vas illud electionis communibus laxaretur iniurijs, quoniam plurimùm à cæteris differens natura communicabat, non culpa. Tertia ratio.

Ang. Paulatim circumfuſa rubore facie, & ebuliente circa præcordia ſanguine, incalaſcis, & propemodum excandeſcis; at putas bene iraſceris tu? an neſcis iram viri iuſtitiam Dei non operari?

Ho. Bene

Ho. Bene iraſcor ego, ſed non pecco, nec iuſtitiam deſero, ſed defendo, acuitur intellectio, non minuitur dilectio; non eſt mihi cum eis idem intelligere, ſed idem velle; ſicut etiam vobis quandoq; accidit; non enim intellectuum,ſed voluntatum diuerſitas amicitiam ſoluit. Sed quæſo mihi hoc dubium ſolue. Si optio daretur Virgini, vellet nè potius maternitatem Dei cum peccato originali adiuncto, an immunitatem ab eodem peccato ſine maternitate Dei?

Arguta, & ſcſata hominis reſpóſio.

Primum dubium.

Ang. Abſque dubio ipſa potius præeligeret Dei maternitate carere,quàm eſſe in peccato originali. Ratio autem quare ne ad punctum quidem pro maternitate Dei, eligeret hac peſte fœdari,eſt, quia originale peccatum non ſolùm pœnæ, ſed etiam & præcipuè rationem culpæ importat, quæ nullo modo eſt eligenda pro maternitate Dei, licèt ſit dignitas infinita. Quinimo præeligenda eſt potius annihilatio omnium creaturarum,quàm minima quæque Creatoris offenſa.

Ho. Eſto anima huius Virginis fuiſſet extra corpus creata,eſſetque illi vnum ex duobus eligendi poteſtas,vel ſcilicet vniri corpori, & vna cum corpore ſic perfici, vt ſit creaturarum omnium nobiliſſima, qualem nunc eſſe conſpicimus cum hac vna tantummodo penſione, & onere,contrahendi cum cæteris originis fœditatem, vel potius, vt hoc malum effugiat, ipſum eſſe naturæ, bene eſſe gratiæ, optimum eſſe gloriæ renuere, bonis, maliſque ieiunam ſine corpore formam æternaliter permanere,hac facta hypotaſi,quid ipſam electuram fore putamus?

Secũdũ dubium.

Ang. Mallet proculdubio nobiliſſimam matris Dei dignitatem, qua gaudet, & ſupremum in omnes latè creaturas imperium,quo potitur, ac beatitudinem quoq; ipſam, qua nunc in cælo aſſumpta fruitur; mallet, inquam,hæc omnia graui iactura ſibi omnino perire, quàm originali gratia in ſua conceptione orbari,atque originali labe conſequenter fœdari.

Iob. 3. Quid, quòd ſola illius contracti criminis recordatio exclamare cogit virum quemque ſanctiſſimum. *Pereat dies,in qua*
Ierem.20. *natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Et rurſus *maledicta dies, in qua natus ſum, dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.* Cert qui ſic dolet talem ad vitam habuiſſe egreſſum, ſi in illius fuiſſet poteſtate,regredi potius in ſuum nihilum maluiſſet, quàm ad vitam egredi, labe illa fœdandus.

Ho. Quòd

Ho. Quòd ſi Virgo talem in vitam hanc habuiſſet egreſſum, meritò ipſa querebundo clamore cum cæteris inclamare poſſet. Pereat dies, in qua nata ſum, & nox, in qua dictum eſt, concepta eſt mulier: Maledicta dies, in qua nata ſum, dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Nunc autem benedicta dies, in qua non ſanctificanda, ſed ſancta concipitur Virgo. Ex his ſole clarius patet, quòd maius beneficium eſt immunitas è peccato, quàm Dei maternitas.

Ang. Abſque controuerſia maius, ex parte recipientis tamen, non conferentis; nam maternitatem Dei vni tantùm, pluribus autem, vel etiam omnibus immunitatem à peccato Deus conferre poteſt. Maius beneficium eſt immunitas à peccato, quã Dei maternitas.

Ho. Hinc ego fortiſſimum elicio argumentum ad probandum efficax quantùm immaculata Virginis conceptio debeat à fidelibus defenſari. Quarta ratio Si enim tot auguſtiſsimi quondam Chriſtianæ reipublicæ principes, tot ſanctiſſimi Eccleſiarum Præſules, pro Virgine defenſanda, quòd Dei vera Mater extiterit, negantibus hæreticis, tantum laborarunt: Sanè pios eiuſdem Virginis cultores vrgere magis debet immaculatæ conceptionis defenſio. Quandoquidem maternitate Dei, & immunitate à culpa æqua lance libratis, immunitas à peccato maioris ponderis eſt, atque magis, quàm Dei maternitas eligibilis, & ipſa Virgo (vti diximus) pluris æſtimat. Itaque ſi gratum Virgini obſequium præſtant, qui eam, & ſcriptis, & coram ab hæreticorum iniurijs vendicant: Non minus grata, vel etiam gratiora eidem Virgini obſequia exhibent, qui immaculatam in ſua extitiſſe conceptione fatentur, fidelibuſque ſuadent.

Sed hac veritate ſuppoſita, vlterius quid de debito ſentis? Habuit debitum contrahendi originalem labē.

Ang. Nondum mea omnino de caſu explorata ſententia, quaſi de re incerta certior factus, an ipſa iam immunis à lapſu, ſaltem communi labendi debito teneretur, exquiris. Sed dicas tu iterum quid ſentis: Nunquid qui ex priuilegio ſingulari eam negaſti lapſam, ex debito etiam lapſuram fuiſſe negabis?

Ho. Ego, ne plus ſapiam, quàm ſapere me oportet, ſentio ipſam quoque ſubijci cum cæteris debuiſſe communi, obnoxia ſucceſſione, ſententiæ. Quapropter licet ſacra Virgo ex priuilegio ſingulari non fuerit cum originali labe concepta, eam nihilominus Chriſtus pretio ſui ſanguinis indigentem re-

demit, non quidem erigendo lapſam, ſed præueniendo, & manutenendo lapſuram. Itaque redemptionem miſit Dominus populo ſuo iam lapſo, iam ſub dæmonis ſeruitute captiuo, ſed copioſa, ſed ſingularis fuit apud Deum pro Virgine captiuanda, ne captiuaretur, redemptio; quod quidem fuit opus ſine dubio, maioris poteſtatis, amplioris beneuolentiæ, potioris gratiæ, & abundatioris ſalutis, quàm ſi poſt caſum erepta fuiſſet, ac propterea iure primogenitam Redemptoris vocare eam poſſumus.

Inuehitur Angelus in eos, qui nimium obſtinate hãc ſententiam, vel impugnant, vel defendunt.

Ang. Benè, deuotè, & eleganter ſic piam, magiſque fidelibus plauſibilem extollis tua oratione ſententiam, vt nullus dolere rationabiliter poſſit. Sed iuxta regulam ſupra poſitam, mihi quoque vera intelligentia melius occurrit, quoſdam eorum, qui hanc ſententiam nimium obſtinatè, vel impugnant, vel defendunt, non deuotione, non amore, non zelo honoris Virginis, ſed rancore potius, oſtentatione, & inani gloria commoueri, eoſque in populo Dei non deuotionem augere, ſed rixas, & ſcandala ſuſcitare:

Quid non excogitat, quid intentatum relinquit oſtentator ſui, vanus concionator, vt ſubtilis adnotetur ingenij, & nouitatis habeatur inuentor? Non pudet illum etiam ab Alcorano totius ſtultitiæ fonte aliquid mutuare, vt inaudita probet auctoritate, orignali labe Virginem caruiſſe. Igitur ſingularia huius Virginis priuilegia talibus indigent comprobari? Num decet puriſſimam Virginem ex impuriſsimo fonte laudibus celebrare? Quomodo putas inſanas iſtas vituperantis potius, quàm laudantis voces Deo placere, & Virgini? Vt latratus canum, vt mugitus bouum, vt grugnitus porcorum. Pius, & deuotus ſacræ Virginis cultor, atque laudator eſt ille, qui ad memoriam eius caſtiſsimo languet amore, eamque per affectum inceſſanter geſtat in corde. Ille zelator honoris Virginis eſt, qui verbis, & exemplis ab omnibus honorandam curat. Bonus Concionator ſuccum quærit, non fucum; exardeſcit animo non placendi, ſed iuuandi; relinquit non pruritum aurium, ſed incendium animi.

Ho. Væh mihi, ſi talia ab exordio ſermonis verba protuliſſes, veruntamen experimento didici ita eſſe.

Plus deuotio, quàm arida argutia, placet ſacræ Virgini.

Ang. Tu quoque melius faceres, & huic Dominæ magis forſan placeres, ſi, his ſub bona fide, ac pietate relictis, eius Roſarium recitares attentè, & quæ in eo concinentur myſteria,

medi-

meditareris aſsiduè. Quapropter accipe conſilium meum, noli eſſe in hac materia curioſus, & multo minus pertinax (quamquam pertinacem te non cognouerim) ſed piè crede, quod piè credit, & credendum proponit Eccleſia.

Ho. Æquo animo, cuſtodis mei admonitionem, conſiliumque recipio. Sed Eccleſiæ conſuetudo pijſsimè credit ſacram Virginem nunquam fuiſſe huiuſmodi labe infectam.

Ang. Maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper in omnibus eſt æmulanda: quia & ipſa doctrina Catholicorum ab Eccleſia auctoritatem habet; Vnde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm auctoritati, vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cuiuſcunque doctoris. Tu igitur eodem modo, ſimiliter crede, ſicut illa hodie credēdum proponit, ac tandem de hac materia finis. D. Thom. 2. 2. tom. 1. q. 10. art. 12.

Ho. Adhuc vnum verbum. Si veſtræ eſſet poteſtatis Virginem ſine labe conſtitui, quid acturi eſſetis?

Ang. Ea puritate vellemus Reginam noſtram nitere, qua maior ſub Deo nequiret intelligi. At hoc Angelorum deſiderium non puritatis defectum, ſed amoris affectum exprimit: Ipſa enim ſupereminet omni, quod poſt hominem Deum, creatum eſt.

Ho. Si igitur vos cum ſitis boni bonitate tantùm participata, noſtis ingens hoc bonum dare Reginæ veſtræ, quantò magis ſumma illa bonitas ſuæ caſtiſsimæ contulit genitrici?

Ang. Rectiſsimè nobiſcum vnà concludis. Tu eam venerare ſicut Vnigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut domum Dei, ſicut creatoris omnium propriam, ſicut Regis cæleſtis ſponſi domum immaculatam. Deniquè tu illam Deum ne dixeris, hoc vno dumtaxat excepto, quicquid in laudem eius dixeris, bene dixeris, ſed non ſatis.

DE GLORIA VIRGINIS, ET QVAM *feſtiuus extiterit illius cum corpore ad cælum redeuntis ingreſſus:*

CAPVT VNDECIMVM.

Ho. IGitur hìc finis? Ego non ſatis quieſco, niſi per exiguum ſaltem aliquid de immenſa huius Virginis gloria, & æterna illius felicitate audiero.

Ang. Quod nulli donatum eſt experiri, nullus conetur effari.

Ho. Rectè,ſed tibi datum eſt experiri,ergo tibi licet effari.

Ang. Sed non homini adhuc mortali carne circumdato. Talia namque vti ſe habent, mortalem hominem intelligere, eſt penitus impoſſibile.

Ho. Quæſo, ſi in cæteris benignitati tuæ complacuit ſatisfacere poſtulanti,noli huic vni, & vltimæ deeſſe petitioni.

Ang. Vide piam hominis obſtinationem. Putasne breui immittere vaſculo mare totum? Breui includere pugillo terrarum orbem? Cælum firmare, ne vſitatos exerceat motus? Quæ oculus nullius hominum videre potuit,tuus videbit?Quæ auris nulla per ſonum hauſit,audiet tua?,Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit,æſtimas te poſſe intelligere? Infinitæ rei,quis erit finis; immenſa qua menſura metieris? Potius totum mare in arctiſsimo clauderetur vaſculo. Potius terrarum orbem paruus teneret pugillus.Potius cælum à motu continuo deſiſteret;quàm gaudiorum,& gloriæ, quibus,non dico celſiſſima hæc Domina,ſed ego infimo recenſitus ordine fruor minimam intelligeres partem.

Ho. Conſequenter loqueris, & conformiter his, quæ in prima vigilia memini te loquutum, videlicet; ea, quæ Deus præparauit diligentibus ſe,fide non capi, ſpe non attingi, charitate non comprehendi, vota, & deſideria tranſgredi; acquiri poſſe, æſtimari non poſſe. Sed eia nunc cariſſime,& ſi te audire nequeo comprehenſorem(nec enim quæ ibi ſunt,mihi reuelari expoſco,nam præter quam quod temeritatis notam, tantum audens, non effugerem, ſcio felicia illa bona mortalibus intimari non poſſe) te nihilominus theologum agentem audiam. Si pluries theologus homo theologum Angelum habuit præceptorem,vltima hac vice theologus Angelus theologum hominem habeat auditorem. Quid de gloria aſſeris huius Virginis?

Ang. Illud idem, quod de gratia. In quanta proportione Virginis gratia gratiam ſuperat electorum, in tanta quoque ipſius gloria gloriam ſupergreditur Beatorum. Quantum gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris tantum obtinuit in cælis gloriæ ſingularis. Et ſicut eſt incomparabile quod geſſit; & inæſtimabile quod accepit,ita eſt incomprehenſibile præmium gloriæ,quod promeruit.

Si po-

Si potus aquæ frigidæ ſitienti exhibitus propter Chriſtum, non eſt mercede vacuus; quo præmio putas, virginei lactis potus, non ſemel, & iterum, ſed innumeris penè vicibus dilectiſſimæ ſummi Patris recens natæ proli, tantis amoris incitamentis, tanta charitate porrectus, dignus erit? Quandoquidem plus illa meruit filium lactans, quàm Martyr ſanguinem fundens, propinatum ſibi bibens calicem Saluatoris. Omnium enim operum merces ſecundum radicem charitatis penſatur, at feruentiori longè charitate lac iſta fundebat de vberibus, quàm ille ſanguinem de vulneribus. Ac propterea meritò dum aſſumeretur, accurrente ſibi filio, talia ab eo audire meruerit. Veni dilectiſſima genitrix mea, acceptura materni vteri pignora, fidelis educationis mercede donanda. Mihi præ omnibus compaſſa, mecum præ omnibus feliciùs regnatura: Mearum olim tranſeuntium tribulationum ſocia, nunc mearum interminabilium conſolationum conſors: Veni tam grauiora ad momentum perpeſſa mala, æternis fruitura bonis. Olim Domina virtutum, nunc Regina gloriæ.

Efficax argumentum ad probandum immensã Virginis gloriã.

Maria plus meruit filiũ lactans, quã martyr ſanguinem fundens.

Hanc denique iure maternitatis decuit vſque adeò exaltari, vt ſupra ipſam eſſet tantum Deus, & ſub ipſa totum id, quod non eſt Deus. Hæc ſuper Seraphim eleuata, tanta eos ſublimitate tranſcendit, vt in comparatione illius ſint quaſi non ſint; & cum primi, & ſupremi inter Angelos habeantur, non tam ab inferioribus ſurſum eminent, quàm ab ipſa deorſum diſtãt, quam à longe aſpicientes, primam poſt Deum regnantem reuerenter adorant.

Iure maternitatis exaltari debuit ſupra cũctos.

Ho. Verſa vice illius, quod ante dixiſti, hominem videlicet in naturalibus plus ab infimo Angelo ſuperari, quàm ſuperetur infimus à ſupremo; Nunc verò contrà, longè maius hæc Virgo ſupremum Angelum ſuperat in gratuitis, quàm ſupremus præcellat infimum.

Ang. Ita eſt, in Regno namque cælorum omnium inferiorum dona in ſuperioribus in tanta excellentia reperiuntur, vt nulla propemodum comparatio fieri poſſit. Cum ergo Regina noſtra in tantum ſit ſupra omnem electorum ordinem ſublimata, vt chorum per ſe faciat incommunicabilem, quicquid eſt gloriæ in omni inferiori glorificata natura tam angelica, quàm humana, multò præexcellentiùs reperitur in Virgine Matre Dei. Tota denique huius Virginis merces eſt ipſe Deus clarè viſus, carè poſſeſſus, ſummè dilectus; ita tamen quòd licet

hæc merces extenſiuè eadem ſit, & æqualis cunctis reddita, vel reddenda, intenſiuè nihilominus gradus habet, charitatis, & gratiæ gradibus reſpondentes. Quantò igitur maior in Virgine charitas, tantò plenior illi reddita agnoſcitur merces.

Ho. Paucis verbis implicitè complecteris vniuerſa; ſed hæc mihi explicitè declarari (etſi gratiſſimum foret) non audeo poſtulare; ſat eſt, quòd ego licet incomprehenſibile non comprehenderim, aliquid tamen de eo, te docente apprehendi. Sed ſi licet aliquid vltra loqui. Ante huius Virginis corporalē in cælum aſſumptionem, erant ne ibi alia Beatorum corpora?

Sancti, qui cū Chriſto ſurrexerunt, immortales effecti.

Ang. Erant, eorum ſcilicet, qui cum Chriſto reſurgente ſurrexerant; Non enim fragilia iterumque caſura Sancti illi ſumpſere corpora rediuiui. Beatas animas beata decent corpora, at fortunatæ illæ, feliceſque animæ clara iam Dei viſione potitæ, beatæ erant, talia igitur ſumpſere corpora, qualia in futura regeneratione cæteræ electorum animæ ſument.

Ho. Ego iterum morituros eos ſurrexiſſe putabam, ſed nunc & dicentis auctoritati, & patenti aſſentior veritati. Et quis ſcit, ſi quemadmodum reſurgente Chriſto, multa ſecum Sanctorū corpora ſurrexerunt; ſic reſurgente Virgine, multa quoq; ſurrexerint ſanctarū fœminarū corpora, vt ille virorum, hæc mulierū comitatu, nobiliori pompa, cæleſtia penetrarent?

Feſtiuus Reginæ ad cælū ingreſſus.

Ang. Hæc tandem de feſtiuiſſimò Mariæ ad Regnum introitu pro fine adnota. Tempore aſſumptionis eius, Sancti, qui eam præceſſerant ad regnum, & tota cæleſtium legionum multitudo in occurſum Virginis cum corpore ad patriam redeuntis, exierunt, quorum hæc vna inter alias vox inſonuit iubilantium. Viuat Regina noſtra in æternum, viuat viuentis parens, viuentium Mater, dominantium Domina: Illi omnis victorum gloria, omnium triumphantium fauſtus, atque imperium ſummum in omnes. Sic Regina procedit, comitante filio, imò innixa ſupra dilectum filium; ſic excipitur ſanctam ingrediens ciuitatem; ſic deducitur auguſtiùs fulgens, cunctis fauſta interim acclamantibus, nobile perpetua caput amplectente corona, ſic ad thronum peruenit perenniter regnatura; & quemadmodū non erat in mundo locus dignior virginalis vteri thalamo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit, ita nec in cælis regali ſolio, quo Matrem ſuam filius ſublimauit, ſed quia thalamus virginalis cælum ſuperat dignitate, digniori loco excēpit Mater filium, cum recipit in vtero, quàm filius Ma-

trem,

trem, cum euexit in cælum, licet in illa beata viuentium terra ſolium Virginis ſublimitate, pulchritudine, ſplendore, ac dignitate vniuerſis electorum emineat manſionibus. Iamque ibi ſedens Regina, in cælo, & in terra poſt filium omni ſibi tradita poteſtate, latè vbique tenet imperium, cui millia millium poſt Deum quoque miniſtrant, eique decies millies centena millia reuerenter aſſiſtunt; & ipſa cæleſtis patria clariùs rutilat virgineæ lampadis irradiata fulgore.

Ho. O verè mirabilis Deus in Sanctis ſuis, ſed pluſquam admirabilis in hac Virgine.

Ang. Quæ mira videntur, mirabilioribus ſuccedentibus comparata, admirationem non habent. Nam quid mirum, Virginem fulgentiſſima ſuæ Maieſtatis præſentia aſtris addidiſſe ſplendorem, quando eius lux è cælo ad terram vſque pertingens, Eccleſiam vndequaque clarificat?

Ho. Eccleſia gratiarum emiſſam deſuper influentiam per ipſam Virginem ſe recipere fideliter recognoſcit.

Ang. Cognoſcit omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſſe, deſcendens à Patre luminum, ſed lucis Matre mediante.

Ho. De ſtatu Eccleſiæ militantis, multa mihi, & quidem magni ponderis dubia obueniunt, quæ ſi liceret, libenter tibi nunc ſoluenda proponerem.

Ang. Licet, ſed pro ſequenti futuræ noctis vigilia, tractanda ſuperſint.

Finis Secundæ Vigiliæ.

DE STATV ECCLESIAE MILITANTIS.

VIGILIA TERTIA.

QVO TEMPORE, ET QVIBVS auſpicijs cœperint Eccleſiæ militantis natalia.

CAPVT PRIMVM.

Ang. GAVDIVM ſit tibi ſemper cariſſime, & pax Chriſti exultet in corde tuo, vt alacris, & pacificus, quæ Dei ſunt, feruentiùs exequaris.

Ho. Amen, Sed quare ſemper gaudij, & pacis voce vteris, me ſalutans?

Ang. Quia fructus ſunt Spiritus ſancti, & poſſeſſio filiorum Dei, fructus, inquam, dulciſſimi peregrinos in itinere confortantes, ab eis nunc vix primoribus labris deguſtati, in patria poſtmodum pleniùs, & ſuauiùs deguſtandi.

Ho. Memini me legiſſe, & experientia didici, Monaſteria in pace compoſita Paradiſum eſſe in terris, & in eis degentes Angelos imitari. Gaudium igitur, & pax & mihi, & cunctis adſint clauſtralibus, vt Angelicam in terris vitam ducentes, Angelicis in excelſo cœtibus ſociemur.

Ang. Sic Eccleſia Paradiſus dicitur, quia fideles continet ſub vna fide concordes, & electos ſummi Patris filios pacis fœdere vnit, & charitatis vinculo pia Mater connectit, licet pro hac fide, & vnitate ſeruanda, innumeros ab initio pertulerit indefeſſa labores. Tu verò dubia, quæ de ſtatu, & profectu

illius mihi ſoluenda proponere te velle dicebas, nunc fidenter propone.

Ho. A grauioribus incipiam, vt ſi tempus deſit, quæ leuiora ſunt, potius inſoluta ſuperſint, & in primis. Ego de primaria Eccleſiæ militantis origine vniformem Doctorum ſententiam non inuenio. Alij namque in Adam Eccleſiam ſua auſpicatam fuiſſe primordia indubitanter credunt, hac potiſſimum ratione, quod ipſe culpa per pœnitentiam deleta, ad gratiam redijt, & ſalutem obtinuit ſempiternam; at quia extra Eccleſiam aut gratiam, aut ſalutem aliquam inueniri, nefas eſt arbitrari: Igitur Eccleſiam in ipſo, vt ipſe de Eccleſia eſſet, oportuit exordiri. Alij in Abel Eccleſiam exordium accepiſſe non inſcienter edocent. Ex ipſo enim, & eius Fratre Cain duæ proceſſerunt Ciuitates, altera cæleſtis, terreſtris altera, terreſtri Cain, cæleſti Abel principium dedit, nomenque indidit: Illa ſynagoga ſatanæ, hæc Dei Eccleſia ex tunc eſſe cœperunt. Alij ex fideli Abraham Eccleſiam initium habuiſſe putarunt, eo quod circumciſionis ſignum, quod eſt ſignaculum iuſtitiæ fidei, primus ille acceperit, vt Pater eſſet credentium, ſi credentium Pater, igitur & Eccleſiæ credentium Matris principium, & origo. Alij tandem Eccleſiam ex latere Chriſti exortam eſſe affirmant, ſicut, inquiunt, ex latere Adæ dormientis, qui erat forma futuri, aſſumpta eſt coſta, de qua Eua formata eſt ita dormiuit Chriſtus ſomno mortis, vt de latere dormientis formaretur hæc ſponſa Eua. Quapropter ego inter tot Doctorum placita anceps, quid ſentiendum ſit, & pro indubitato habendum Angelico nunc oraculo diſcere concupiſco.

Primaria Eccleſia militātis origo, quādo incepit.

Ang. Si Eccleſia pro vniuerſitate fidelium tam præcedentium, quàm ſubſequentium Chriſtum indifferenter ſumatur, ex omnibus à te relatis Patrum, Doctorumq. ſententijs vnam, eamque indubitatam de Eccleſia ſententiam in hunc modum integrare licebit. Eccleſia ab ipſis vtriuſque parentis primordijs primam duxit originem, atque in eis concepta, quaſi in Matris vtero aliquantulum latuit, cum nec fidei adhuc teſtationes oſtenderit, nec ſacrificia religionis habuerit. Nata eſt in Abel, ac in lucem, quaſi edita, mox fidei conteſtatio, ac ſacrificia viſa ſunt; Tunc primùm in ea ſanctitate, virginitate, innocentia, martyrio, iuſtitia, religione, velut ſyderibus in firmamento virtutibus coruſcantibus; quæ poſtea tranſacta ſub naturali lege infantia, de Deo interim aliquid balbutire

Deciſio Angeli.

ediſcens ad Abraham vſque peruenit, & in eo, ſigno circumciſionis accepto, quaſi annulo fidei à Deo ſubarratur in ſponſam; ac tandem velut ætate adulta, & quaſi pubeſcens Virgo ab ipſo Deo in monte Syna per legem à ſe traditam deſponſatur, moxque in tantam, ac tam numeroſam ſobolem mira fœcunditate excreuit, vt vineæ longè, latèque diffuſæ vbertim fructificantis nomen acceperit, & ita vltra progrediens, & in melius aliquandiu proficiens, tandem retrogredi paulatim cœpit, & ſucceſſiuè deficiens à Saluatore inuiſitur, iterum feliciùs ab eo inſtauranda, ac per totum orbem latius propaganda.

Si autem hos duos fidei, ac fidelium ſtatus diſtinguere, & ſynagogam ab Eccleſia ſeparare velimus; ipſa Eccleſia noua Eua ex noui Adæ latere, in eum ſopore mortis immiſſo, exordium ſumpſit, & inde ei copulata effecta eſt cunctorum viuentium Mater, magis quàm ſynagoga, numeroſa prole inſignis. Hanc Eccleſiam ex vtraque Iudæorum ſcilicet, & gentilium natione congeſtam, non incongruè mundum ſummè à Deo dilectum, pro quo vnigenitum dedit, vocare potes: Huius mundi cælum, Iudaiſmum, terram gentilitatem eſſe intellige; nam quantò altius è terra ſurſum cælum eminet, tantò Iudaica illa, electaque progenies fuit reliquis nationibus eminentior, religione, lege, miraculis, Prophetis, velut aſtris, ſole, luna, & ſtellis cælum hoc myſticum exornantibus; ipſa verò gentilitas velut terra inanis, & vacua depreſſa iacebat tenebris inuoluta.

ECCLESIA CVM SYNAGOGA COLLATA quantò ſit præ illa præſtantior.

CAPVT SECVNDVM.

Ang. EGo cogitabundum te præter ſolitum video, magna intus moliris, & quæ verſas in mente, foras libenter promeres.

Ho. Promerem, ſi liceret.

Ang. Si alias licuit, cur non modo?

Ho. Huius myſtici mundi Iudaiſmum cælum, gentilitatem terram eſſe dixiſti; ſed nunc Iudaiſmus terra, gentilitas cælum mutuatis vicibus euaſerunt, genſque Iudaica velut terra inanis,

nis, & vacua præ cunctis nationibus abiectiùs depreſſa iacet, tenebris inuoluta, tenui, & vmbratili, qua olim fulgebat, luce penitus destituta: Quemadmodum primigena illa lux in primordijs mundi primo die effecta, & ſuboſcurè luceſcens, ſole quarto die, progenito, euanuit, ſic Eccleſia velut aurora conſurgens, diemque efficiens ſol effecta, quondam ſynagogæ lucem noctu inſtar lampiridis effulgentem ſua claritate extinxit, Et licet Eccleſia ſit ex vtraque natione congeſta, ipſa tamen gentilitas de tenebris eruta, & in admirabile Saluatoris lumen vocata, Eccleſiæ nomen dedit, vt ſit ipſa *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Iudaiſmus verò *termini ſint impietatis, & populus, cui iratus eſt Dominus vſque in ſempiternum*. En Regina Vaſthi, hoc eſt ſynagoga pro ſua in Deum ſponſum infidelitate repulſa, dato libello repudij extra myſtici huius mundi limites exulauit; & Eſter pulcherrima fidelis, & obediens, gentilitas ſcilicet per lauacrum regenerationis mundata, nullam habens maculam, aut rugam, noua eligitur ſponſa, futura viuentium Mater.

Gen. 1. | 1. Petr. 2. | Malach. 1. | Eſther. 1.

Huic adhuc ſterili, ſed innumera filiorum multitudine citius fœcundandæ, in ſui gloriam dici poterat: *Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multæ filiæ deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum*. Et illud: *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt*. Et *circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente ſole vſque ad Occidentem*. Et ſexcenta alia huius generis vaticinia Eccleſiæ matris fœcunditatem conteſtantia.

Galat. 4. | 1. Reg. c. 12. | Baruc. 4.

Denique ſynagoga ſub titulo meretricis fœdiſſimè proſtitutæ repudiatur à Deo, & Eccleſia integerrima exiſtens Virgo ſponſo ſuo dilectiſſimo intemerata fide coniungitur.

Ang. Placent mihi admodum quæ dixiſti, præter vnum, quod tamen excuſatum te habens, miſſum facio. Sic decet filium matrem laudibus cumulare, eius gloriam exaltare, virtutes prædicare, honoremque tueri. His ad maiorem tuæ matris gloriam adde, nouum hoc cælum perfectiore religione, ſanctiore lege ſummis Archimandritis, innumeris penè ſanctis, immenſis, inauditiſque miraculis, velut ſyderibus clarioribus, quàm fuerint, quæ terreſtræ ſynagogæ cælum decorabant, elegantiſſimè decorari.

Ho. Ego his aliud, & quidem non vulgare adiungo. Syna-

gogæ adulteræ cum libello repudij lamentationum librum, vt materiam habeat ſe ſemper infeliciſſimam deplorandi; repudiata accepit: Eccleſiæ verò electiſſimæ ſummi Regis ſponſæ Cantica Canticorum, quæ diuini amoris ſuauitatem vndique redolent, æternæ felicitatis pignus, miſſa ſunt. Sed ego inquieta teneor anxietate ſciendi quodnam ſit illud vnum à me dictum, quod tibi non multum placuiſſe dixiſti.

Ang. Senſitiuum admodum in multis te experior. Dicam. Ego quidem approbo, te humiliter gloriari Virginis integerrimæ eſſe filium, ſed Iudæorum matrem aliquando meretricem fuiſſe, quid tua, tuæque matris intereſt memorare?

Reprehenditur Theologus ſynagogam meretricem vocans.

Ho. Intereſt quamplurimum, quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt; inhoneſta namque illius, matris meæ honeſtatem vndequaque commendant, illius infidelitas iſtius fidem exaltat, ſic improbitas probitatem; illius inſtabilitas ſtabiliſſimũ Eccleſiæ ſupra petram ſolidam indicat fundamentũ.

Hic mihi vſurpandum venit illud Saluatoris ad Iudæos reſponſum, indignè ferentes ipſum à pueris laudari. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Si pueri Eccleſiæ, ſynagogæ probra alioqui vel ipſis inſenſatis rebus notiſſima, tacuerint, lapides clamabunt, quinimo aliquandò clamarunt, nam miſerandæ illæ illius ciuitatis, templique ruinæ, ac ruinarum lapides linguæ fuerunt ingentia ſynagogæ flagitia propalantes, eaque tantorum malorum cauſas accuſantes; nec ipſa tacet Eccleſia, quæ à ſponſo ſuo edocta filios docet in Saluatoris perſona improperia decantare in opprobrium ſynagogæ, Creatori, Gubernatorique ſuo pro ſummis ab eo acceptis beneficijs, blaſphemias, iniurias, atque ſæuiſſima ad mortem vſque tormenta ingratiſſimè rependentis: Angele Dei mihi parce, quia vt ſcis, non illius gentis odio motus hæc dico, quam ad agnitionem veritatis cupio ablato velamine peruenire; ſed ingratitudinis vitium odioſiſſimum Deo, hominibus infeſtiſſimum, & ſummè Angelis deteſtabile ex corde abominor, atque execror.

Luc. 19.

Ang. Filium à matre optima optimè eruditum, zeloque Dei optimè inflammatum, optimè loquutum credibile eſt, & mihi certum, ſed de his ſatis.

QVAN-

QVANTVS, ET QVAM FELIX EXTITERIT *Eccleſia in auctoritate profectus.*

CAPVT TERTIVM.

Ho. Eccleſia Dei quando melius ſe habere cenſenda eſt, priſcis illis temporibus, an nouiſſimis hiſce noſtris?

Ang. Vnum proponis, ſed virtute multiplex, ſenſuq; multa complectens, ac propterea vnica ei reſponſione ſatisfieri non poteſt. Dei namque Eccleſia ſicut in multis aucta, ita & in multis quamplurima paſſa eſt ſucceſſu temporis detrimẽta.

Ipſa igitur adinſtar dilectiſſimi ſui ſponſi, quemadmodum creuit ætate, ſic etiam multorum incrementum longæua recepit, & profecit in melius. Perpende quantus, & quàm felix extiterit eius in auctoritate profectus. Quæ olim fuerat ſub mundanorum Principum ſeruitute captiua, nunc Princeps ipſa prouinciarum, & Domina gentium effecta, ampliſſima toti ferè orbi auctoritate præſidet; ſicque factum eſt, vt quæ omnes timebat, timeretur ab omnibus, & impleretur celebrè illud de ipſa Eccleſia vaticinium ſic exordiens. *Progreſſus Eccleſiæ in auctoritate.*

Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion ſancti Iſrael: pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, ponam te in ſuperbiam populorum, ideſt in ſupremum dignitatis apicem. *Iſai. 60.*

Ho. Si Eccleſiæ auctoritas fuit ſemper eadem, & quidem ſumma; quomodo dici poteſt maior decurſu tẽporis euaſiſſe?

Ang. Auctoritas Eccleſiæ miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata fuit quidem ſemper eadem intenſiuè, ſed ipſa Eccleſia ſeruili adhuc conditione detenta auctoritatem ſuam nec extendere, nec totam valuit exercere, ſed velut aurora in lucem gradatim prodijt, ſeque paulatim latiùs manifeſtans, vſque adeò claruit, & inualuit, vt verè dici poſſit auroram in meridiem iam tranſiſſe, & fontem paruum in aquas plurimas redundaſſe, turgidis, elatiſque vorticibus exiccatis, eorum cum ſonitu pereunte memoria.

Denique ſupremam hanc Eccleſiæ auctoritatem reueretur ſupernorum curia, contremiſcit deſperata inferorum captiuitas, & nunc velit, nolit, expaueſcit, eique ſubijcitur excellens *Supremam Eccleſiæ dignitatẽ etiã dæmones reuerentur inuiti.*

terrenorum poteſtas; quicquid enim concordiſſima Eccleſiæ auctoritate decernitur, ſupremo vniuerſorum iudice approbante, vniuerſi pariter approbant. Tandem cum Eccleſia ſit columna, & firmamentum veritatis, eſt etiam infallibilis regula res fidei diſtinguendi, ac definiendi, eiuſque teſtimonium eſt illud vltimum, in quod tandem fides reſoluitur, & ſtatum accipit, quo peruento vlterius alicui progredi nunquam licet. Cumque ipſa ſigillum Dei inamiſſibiliter habeat, illæ tantum Scripturæ canonicè ſunt habendæ, quas Eccleſia, quaſi impreſſo ſigillo, canonicas eſſe ſua auctoritate declarat, atque confirmat.

Ho. Num propter hoc Eccleſia ſpiritale habeat in omnes, & vbique dominium?

Ang. Quemadmodum Chriſtus omnes homines ſub miſerabili tenebrarum principis ſeruitute detentos, eo deuicto, & ſpoliato, eripiens de ſuo fecit principatu, & ſeruós ſibi conſtituit; ſic Eccleſia in omnes, & vbiq; ſine aliqua vel perſonarũ, vel locorum reſtrictione, ſpiritale habere dominium, quantum eſt ex parte ſui, concedere non inconuenit, licet non in omnes, & vbique illud exerceat, ſed in eos tantummodò, qui baptiſmatis caractere ſunt inſigniti, & vnius, eiuſdemque fidei, ac ſacramentorum communione iunguntur.

Eccleſia ſpiritale dominium habet in omnes, licet non in omnes exerceat illud.

Ho. Heu ſpirituale hoc Eccleſiæ dominium, quod totum olim occupauerat orbem ab Oriente reiectum, cernimus vix in Orientis parte conſiſtere, & ipſe Chriſtus ſol Oriens, Orienti Occidens, in Occidente conſpicitur.

Ang. Plures iam annorum centuriæ tranſierunt, cum Eccleſia pro tanti dominij amiſſione deplorat, ſæpius iteratis vicibus repetens. Iunior fui, etenim ſenui. Iuuenis fuit Eccleſia in Apoſtolis, Martyribus, priſciſque Patribus, qui ad Silueſtri vſque tempora floruerunt; in eis ſiquidem illuſtria cunctarum virtutum, & inſignia protulit, & monumenta reliquit. In virilitate conſtitit, cũ celeriter per totũ orbem eximio dilata imperio, idolatria pulſa, orbe Chriſto ſubacto, exaltata eſt.
Conſenuit tandem cum Maumeti ſecta vexata, ab ea, quam poſſederat, amplitudine delapſa eſt.

Ho. Hinc ego ingenti ſtupore afficior, quomodo vilis ille, ſed planè diabolicus, hominum perditiſsimus, perditorum hominum dux, turpiſsimæ legis effector, & vt ita dicam, Antichriſti præcurſor Maumetus totum Orientalem orbem ab

idolatria purgatum,& puriſsima Chriſti fide imbutum, iterum tot erroribus, nefandiſque vitijs labefactare potuerit. Quomodo aper ille de ſylua, ſingulariſque ferus ferarum omnium ferociſsimus vineam Domini exterminare, depaſci, in deſertumque deducere permiſſus ſit. Ergo nè melior quondam portio gregis Domini tot Martyrum ſanguine comparata, tot Patrum deſudantum laboribus exculta, ſic debuit porcorum pedibus conculcari?

Et quod ſatis die, noctuque non fert animus admirari, quomodo ſecta iſta tam erronea, turpis, & obſcena tam diuturnè duret, cum ex Veteris, Nouique Teſtamenti decurſu vſque ad ipſam nulla ſecta in propria ſpecie, & ritu tantæ fuerit durationis; ſiquidem ab huius ſectæ initio vſque ad præſens mille anni (demptis decem, tranſierunt. Quænam inſueta huius maledictæ ſectæ diuturna poteſtas, execrabiliſque religio? liceat mihi cum Vate illo lugubri plorans exclamare: *Quare via impiorum proſperatur? Plantaſti eos, & radices miſerunt, & proficiunt.* Et cum alio Deum ſic alloquente: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris; quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces? deuorante impio iuſtiorem ſe?* Ierem.12. Baruc.c.1.

Ang. Iudicia Dei abyſſus multa, & ideò quanta obſcuritate nequeunt conſpici, tanta debent humilitate venerari. Suggerente, ſimul & cooperante diabolo, permittente Deo, id etiam malitia hominum exigente, in Eccleſia Dei tale factum eſt exterminium. Hinc diſcat vnuſquiſque pro anima ſua viriliter agere, & ſollicitudinem gerere, atque cum tremore, & timore ſalutem operari, ac indeſinenter ſatagere, vt per bona opera, ſuam, quantum fieri poteſt, certam faciat electionem; nec ſub obtentu miſericordiæ Dei, quòd magna ſit, concupiſcentijs dimittat habenas; nam, ſi Deus ſine præiudicio miſericordiæ ſuæ innumeram hominum multitudinem perire permittit, quidni miſerator, & multum miſericors Dominus hunc, vel illum peccatis frœna laxantem damnari quoq; permittat?

Ho. Salubre, & memorabile documentum, ſcitu digniſſimum, ſaluberrimum obſeruatu; ſed putas nè, ſecta illa aliquando finem ſit habitura, & Eccleſia ad ſuos terminos reditura?

Ang. Non eſt hominis noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; & Eccleſia, ſupra quā non eſt abbreuia-

breuiata manus Domini, parum indiget nouo ad ea loca recurſu, nam in ſenectute ſua aliunde aucta, iterum conſolatur dicens, *& ſenectus mea in miſericordia vberi*; Vberem namque miſericordiam conſequuta eſt ſenio iam confecta, cum ad Indicas plagas effuſa, vſq; ad nouum, nec ſeculis priſcis agnitum orbem eſt propagata. Pſal 91.

TEMPORALIS QVAE, ET QVANTA SIT *Eccleſiæ militantis poteſtas, atque dominium.*

CAPVT QVARTVM.

Ho. SVpra dixiſti Eccleſiam in omnes, & vbique ſine aliqua vel perſonarum, vel locorum reſtrictione ſpiritale habere dominium. Hic ſermó parum diſtare videtur ab ea multorum ſententia affirmantium Eccleſiam Chriſti in omnes vbique terrarum gentes poteſtatem habere, ac propterea integram illi totius orbis poſſeſsionem deberi, omnemq. principatum, quem infideles poſsident, ab eis tyrannicè poſsideri.

Ang. De ſpirituali ad temporale tranſis dominium, optimus videlicet meorum verbörum interpres. Eccleſia habeat necne hoc dominium, Regnum eius non eſt de hoc mundo, & electa quæque eius membra, filij nempe Dei admoniti, quia non multum nobiles ſecundum carnem, non multum potentes eos eſſe oporteat hinc citiſsimè tranſituros, manentem hic ciuitatem ſe non habere cognoſcunt, ſeque in terra peregrinos eſſe fatentur, & tanquam peregrini, exonerati, agiles, expediti, pardiſque leuiores, toto conatu ad ampliſsima illa in æternum ſtabilia aſpirant regna, immarceſcibili Regum gloria futuri Reges illuc properant coronandi, omnia interim, quæ hic ſunt, velut ſtercora arbitrantes.

Ho. Tu quoque de genere ad genus tranſitum facis, modo enim de Eccleſia dogmaticè loquebaris, nunc de ea moraliter, & anagogicè verba facis. Scio hoc proprium habere Eccleſiam, quod dum perſecutionem patitur, floret; dum opprimitur, creſcit; dum contemnitur, perſiſtit; dum læditur, vincit; dum arguitur, intelligit; tunc ſtat, cum ſuperari videtur. Scio inquam adhuc eam in terris degentem peregrinari, & inceſſanter pugnare, donec de via ad patriam, de pugna ad victoriam, de militia ad triumphum veniat, ſed ego quærebam, quan-

quanta illius eſſet temporalis in orbem poteſtas, ſi eo, quod ſuum iuridicè vti poſſet,& vellet.

Ang. Patientiam fugituram,vel potius fugientem retine: Homo ſtatura breuis, indignatu facilis, & facilis quoque lætatu,ſed cito ab vtroque recedens,in medio,quod eſt virtutis thalamus,dulciter,& pacificè conquieſcit.

Ho. Verum eſt,quod dicis, ſed vltimam ſententiæ partem in me verificari non ſentio. Verumtamen non impatientia motus,ſed confidentia fretus ſic loquutus ſum; ſcire autem quid de temporali Eccleſiæ dominio ſobriè ſentiendum ſit, Catholicis ſummopere his temporibus expedit, & tu,qui dubia à me proponenda ſoluere ſpopondiſti, hoc vnum, & quidem præcipuum inſolutum relinquere non deberes.

Ang. Ad firmamentum cæli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas inſtituit dignitates,quæ ſunt pontificalis auctoritas,& regalis poteſtas, ſed illa, quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, maior eſt,quæ verò carnalibus,minor,vt quanta eſt inter ſolem,& lunam,tanta inter Pontifices,& Reges differentia cognoſcatur.

Ho. Sed quemadmodum ſol lucem habet à ſe, eaque ab alio quocunque creato priuari nullatenus poteſt; luna verò omnis prorſus natiuæ lucis expers,eam à ſole mutuet,ac ſæpe ea deſtituitur. Sic ſpiritalis poteſtas, vt ſol in Petro, ac cæteris Pontificibus ex Spiritus ſancti aſsiſtentia inſidet,nunquam defectura; Terrena autem poteſtas, quæ in Imperatoribus,Regibuſque conſpicitur, non à ſe, ſed mutuo ſumpta eſt, quia Chriſto,& Petro,eiuſque ſucceſſoribus primùm inſidet.Deficit ſæpiùs luna,& ipſa imperatoria, regiaque poteſtas ſæpiùs nutat,& crebras ſubit viciſsitudines. De his ego aliquando cum iuuenis Muſas colerem,cecini.

Sic celebris Regum totum celebrata per orbem
Nocte ſub obſcura condita fama latet.
Aſpice magnanimos olim ſuper æthera vectos,
Vt nimis horrendos horrida celat humus.
Quid modò fortunam toties habuiſſe ſecundam?
Regna quid hoſtili parta cruore iuuant?
Heu quid honor valeat, quid opes præſtare ſuperbæ,
Vnica cunctorum ſors miſeranda docet.
Sic regale decus, ſceptrum,diadema,poteſtas,
(Proh dolor) in præceps cuncta caduca ruunt.

Ang. Et

Ang. Et carmina ad rem faciunt, & ſolis, atque lunæ analogiæ ad vtramque poteſtatem relatæ bene ſe habent. Modo ad principale dubium à te propoſitum redeundo. Summus Pontifex, qui eſt Epiſcoporum princeps, hæres Apoſtolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarcatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus, nedum ſpiritualem temporali maiorem, ſed etiam neceſsitate pro fide vrgente, in temporalibus ſummam habet poteſtatem; Quapropter mutare regna, & ab alijs ad alios transferre imperia, atque dominia, abſoluta, auctoritate poteſt, ſi id ad animarum ſalutem neceſſarium ſit. Et ſummos quoſdam Pontifices ab vno ad alium tranſtuliſſe imperium, qui hiſtorias legerint, probè norunt.

Summus Pōtifex in tēporalibus quoque ſummam habet poteſtatem.

Ho. Legi ego Leonem Tertium à Græcis ad Germanos imperium tranſtuliſſe, hac potiſsimum ratione, quòd Occidentali Eccleſiæ nimium laboranti Græci auxilium afferre non poſſent. Item Gregorium Septimum Henricum Quartum depoſuiſſe, & alium ſua auctoritate eligi imperaſſe, habetur in vita eiuſdem Pontificis. Innocentius Tertius Othonem Quartum depoſuit. Ex Blondo decade 2. lib. 6. Innocentius item Quartus in Concilio Lugdunenſi conſentientibus Patribus vniuerſis Fridericum Secundum depoſuit. Clemens Sextus Ludouicum Quartum Imperatorem à Ioanne Vigeſimoſecundo, & Benedicto Duodecimo excommunicatum depoſuit. apud Pighium lib. 5. hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 14.

Ang. Cæterum rebus in pace compoſitis, ac recte Chriſtiana Republica per ſæculares Principes adminiſtrata, nullo Catholicæ fidei exiſtente, aut imminente periculo, decet ſuo quemque iure, ac poteſtate pollere; Ita tamen, vt ſemper ſæcularis poteſtas ſpiritali ſummi Pontificis poteſtati obſequiū deferat, eique tanquam maiori minor ipſa ſubdatur.

Ho. Ex his, quæ dicis, intelligo apud Pontificem ſummum, vt ſupremum totius mundi Regem vtriuſque poteſtatis apicem reſidere.

Ang. Rectè, ſed explicatiùs dicas, apud eum ſpiritualis directè, temporalis indirectè dignitatis apicem reſidere.

Ho. Eſto Summus Pontifex habeat poteſtatem mutandi Regna, ac transferendi Imperia, atque dominia neceſsitate pro *fide vrgente*, adhuc tamen non ſatis conſtat, an Eccleſiam deceat *ſæcularis* principatus proprietate ditari, amplitudine dila-

dilatari,magnitudine honorari,ac poteſtate ad mortem vſque timeri.

Ang. Quid multa? conſentaneum eſt, nedum temporalis principatus dotibus Eccleſiam inſigniri,ſed etiam ipſum principatum cum poteſtate vtriuſque gladij ſub ſuo habere dominio,vt ſic eius Maieſtas ad gloriam ſui capitis Chriſti, ad animarumque ſalutem magis dilatetur,& dilata cognoſcatur, & cognita diligatur à bonis,timeatur a malis, honoretur ab omnibus; licet in ſæculo illo aureo Eccleſia abſque temporalis principatus amplitudine, magnitudine, poteſtate, vna duntaxat ſanctitate tot,& maiora,atque illuſtriora gloriæ ſuæ ſtemmata proferebat.

Ho. O aurea illa tempora exurgentis Eccleſiæ diuitijs, auroque carentis,ſed aureis animabus affluentis,ac propterea innumeros penè filios ad cæleſtem patriam tranſmittentis, & ingens vobis gaudium adferentis.

QVO SENSV ECCLESIA CIRCA FIDEM, qua inuariabilis eſt, profeciſſe dicatur.

CAPVT QVINTVM.

Ho. AVctoritate Eccleſiæ cognita,eiuſque vtroque dominio,quale ſit,explorato; nunc te de fide diſſerentem libenter audirem.

Ang. Doctorem fidei fide carentem eligis, quomodo fidem doceam,fide carens?

Ho. Iocaris mecum,fide cares, quia fidei lumen tanquam ſyderis pallentis igniculum ad ſolis præſentiam euaneſcit. Imò tu,qui claro gloriæ lumine illuſtraris,de obſcuro fidei lumine vales excellentiùs,& perſpicaciùs pertractare.

Ang. Fides lumen eſt animæ,oſtium vitæ,fundamentum ſalutis æternæ, quicunque hac derelicta, velut peſſimum ducem proprium ſequitur intellectum, quicunque per ſapientiæ ſuæ ſenſum ad myſteriorum cæleſtium putat ſe poſſe peruenire ſecretum; ſic facit, quomodo ſi abſque fundamento ædificet domum,aut ſi prætermiſſo oſtio, velit intrare per tectum, vel ſi nocte ſine lumine inferat greſſum, totum ſe clauſis oculis vrgeat in profundum. Hanc ergò vobis fidem velut magnam lampadem, Chriſtus adueniens errantibus viam mon-

ſtraturus exhibuit, per quam poſsit Deus ignotus requiri, quæſitus credi, creditus inueniri.

In hac fide nihil eſt dubia æſtimatione pendulum, ſed totum, quod in ea eſt, certa, ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis, & miraculis diuinitùs perſuaſum, ſtabilitum, & conſecratum partu Virginis, ſanguine Redemptoris, gloria reſurgentis.

Ho. Num Eccleſia maiora in fide, vel fidei explicatione ſucceſſiuè incrementa receperit?

Ang. Eccleſiæ, quæ perfectum fidei domicilium ſemper extitit, aliquem in fide profectum ætatibus ſuccedentibus acceſſiſſe, nefas eſt arbitrari: execratur enim vera confeſſio fidei, fidem iuxta diuerſitates temporum variari, ſicut nec ipſe veritatem variari admittit, de quo eſt ipſa vera confeſſio, qui dicit, ego ſum, & non ſum mutatus.

Ho. Hoc ita eſſe non dubito, nam fides nec mutari, nec in ea augeri ab aliquo, aut minui quicquam poteſt, quia niſi vna eſt, fides non eſt, dicente Apoſtolo: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium.*

Ephe. 4.

Ang. Attamen in explicita credendorum fide, in explicatione, ac definitione dogmatum ad fidem Catholicam pertinentium, Eccleſiam profeciſſe, profectus ipſe teſtatur; Hæreticorum præſertim, ac fallacijs occaſionem præbentibus. Nunc enim quæ ſunt veræ fidei, euidentiùs cognita, clariùs explicata, efficaciùs, ac firmiùs diffinita conſiſtunt; non quod Eccleſia nunc plura, & explicatiùs credat, quàm Apoſtoli, & ſanctiſſimi quondam Patres crediderint; ſed ipſa tanquam veritatis magiſtra eadem myſteria explicatiora, & clariora fidelibus credenda proponit. Nihil enim fidei, vel de fide nouum acceſſit inuentum, ſed eorum, quæ ſemper fuere fidei, ac de fide credenda, quædam apud omnes minimè de fide eſſe conſtabant, modò verò conſtant. Quinimo nec modo arcana fidei ſacramenta ſunt paſsim omnibus exponenda, cum non paſsim ab omnibus poſsint intelligi; ſed his tantum, qui ea fideliter poſſunt concipere intellectu.

Ho. Eſto, totius Eccleſiæ fides augeri non poſsit, in ſingulis tamen Eccleſiæ membris veram fidem habentibus, inæqualiter reperiri, & ex minori maiorem gradatim fieri, ſine fidei præiudicio negari non poteſt. Veram habebant Apoſtoli fidem, & rogabant nihilominus, Domine adauge nobis fidem; veram habebat Paulus, ſed omnem illam, qua montes transferre

ferre poſſet, ſe non habere fatetur.

Ang. Quis hoc negat? Tripliciter maior vnius, quam alterius fides eſſe poteſt; vel quia plura explicitè vnus quã alius credit, vel quia maiorẽ credẽdorum certitudinem, & firmitatẽ habet; vel quia maiore in credendo deuotione afficitur. Hinc, ſi ardua illa Priſcorum fides cum fide præſentium conferatur, quantum hæc ab illa defecerit, defectus ipſe teſtatur. O quã rarum eſt hodie fidelem hominem inueniri, paratum ſcilicet & ſua prodigere, & ſeipſum perdere pro fide tuenda. Fides in vnoquoq. tripliciter poteſt eſſe maior.

Ho. Quemadmodum olim Patres noſtros, priores illos Eccleſiæ filios ab ea in iuuentutis flore progenitos, ſe geſſiſſe nouimus, qui per admirabilem in perferendis cruciatibus patientiam conſtantiſsimos fidei teſtes ſe mundo, Angelis, & hominibus præbuerunt; Tantò Veteris Teſtamenti Patribus fideliores, quantò duriora præ illis ſubiere pro fide certamina.

Ang. Veteris Teſtamenti Patres in ſphæra actiuorum poſiti, non vim pati, ſed vim facere pro fide ſolebant. At verò Noui Teſtamenti filij, ſtrenui Chriſti milites in ſphæra paſsiuorum Redemptoris amore concluſi, vim pro fide multiplicẽ patiebantur inuicti; ſiquidem tanta animi fortitudine, magnitudine, ac patientia tolerabant aduerſa, vt nihil ſibi aduerſi accidiſſe putarent. Quinimò (quia nihil eſt aduerſum, niſi quod æternæ felicitatis aduerſatur ingreſſui, quales ſunt carnis illecebræ, & blanda mundanorum oblectamenta; & nihil proſperum, niſi quod ad illam felicius pandit iter, quemadmodum varia paſsionum genera, diabolo ſuggerente, Deoq; permittente inuenta, pro Chriſti fide, & amore à fidelibus tolerata) hæc illos conſtanti animo pertuliſſe, non fuit aduerſa pati, ſed proſpera conſequi, non fuit iter exterminij, vt perſuaſum habebant impij, ſed inuentio pacis, & vitæ immarceſcibilis acquiſitio.

Ho. Sed vbi nunc, & quis vel in minimo eorum imitatur veſtigia? Animaduerti poſt tot eximios Iudaici generis viros ab Apoſtolo recenſitos, qui fide mirificè claruerunt, tandem Saluatoris tempore Iudæorum gentem ſic ab illa ſuorum Patrum fide infideliter deuiaſſe, vt infidelis gentilitas Chriſto fideliorem hominem præſentaret. Ita (proh dolor) parum deeſt, quin idem acciderit Chriſtianis. Namque poſt Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, poſt alios innumerabiles pe-

Fides licet in omnibus fidelibus ſit vera, in paucis tamen ardua, & indubitata.

nè viros acerrimos fidei defenſores, eò denique ventum eſt, vt licet in omnibus veram, in paucis tamen arduam, ac indubitatam prorſus fidem reperiri contingat; Væh nobis, ſi ſecundum fidem noſtram ſalus nobis contingeret, ac ſingulis diceretur, fiat tibi ſecundum fidem tuam.

Pulchra Angeli de fide ſententia.

Ang. Non mihi placet, nec approbo commune illud Concionatorum aſſertum, nempè plurimos inueniri profeſsione Chriſtianos, ſed operibus Atheiſtas.

Ho Si hoc malum eſt, malum iſtud multoties ego in concionando patraui.

Ang. Concionatorem in concionando oximele habere oportet, ſed tu plus aceti, quàm mellis concionando eructas ac ſi ſemper deſperatis gentibus prædicares; Si vis nihilominus exclamare, ſic clama. His temporibus fides rutilat, ſed non ardet; vbique floret, ſed non vbique fructificat.

Ho. Amplector ſententiam Angelico ore depromptam, eamque in præcordijs meis reconditam nulla vnquam delebit obliuio.

QVAENAM COMMODA, ATQVE VTILITATES Eccleſiæ adferant ſæpiùs celebrata Concilia.

CAPVT SEXTVM.

Ho. ECcleſiæ quid magis expedit, raró, vt modo contingit, an frequenter, vt olim, celebrare Concilia?

Ang. Si cauſæ adſint, & neceſsitas vrgeat, nedum melius eſt, ea frequenter repetere, ſed etiam impium eſſet omittere.

Ho. Quæ, & quot ſunt tantæ rei, tantique negotij cauſæ?

Ang. Plures, ſed præſertim tres. Noua videlicet, & nunquam aliàs iudicata hæreſis; ſchiſma inter Romanos Pontifices; & generalis abuſuum, morumque reformatio, ac vitiorum, quæ in Eccleſiam irrepere paulatim ſolent.

Ho. Sed hoc tempore tertia adeſt cauſa; namque hodie corruptos vbique mores ſpectare licet, ſpectaculum vtique miſerandum, quod hi, qui foris ſunt, & ex aduerſo poſiti aſpicientes, multa habent mala dicere de nobis, multaque nobis obijciunt, in quibus erubeſcere quidem poſſumus, excuſare nullatenus. Equidem noſtro hoc ſæculo præcedentium ſæcu-

lorum fece, periculoſa illa tempora, quæ futura prævidit, ac prædixit Apoſtolus, arbitror adveniſſe.

Ang. Advenere certè, nonne vides homines ſeipſos tam inordinate amantes, vt amor ſui vſque ad contemptum Dei pertingat? Et hoc tanquam malorum omnium parens, cætera quæ ibi enumerantur, mala, lubrica fœcunditate emittit.

Ho. Heu olim amor Dei vſque ad contemptum ſui protenſus in tota Chriſtianorum multitudine cernebatur; Nunc vice verſa amorem ſui vſque ad contemptum Dei auctum vbique videmus. O felicia illa Eccleſiæ naſcentis initia, quando frigidum illud verbum, meum, & tuum, omnium diſcordiarum fomes, vtriuſque amoris, Dei videlicet, & proximi extinctiuum, à fidelium cordibus charitatis igne flammantibus eminùs exulabat.

Ang. Attamen hi, qui foris ſunt, & ex aduerſo ex priuata ſingularium prauitate vniuerſalem Dei Eccleſiam inconcuſſa ſtabilitate medio inter extrema, tramite incedentem, nonniſi iniuſtè, & impiè calumniari poſſunt.

Ho. Hæc ita ſe habent, ſed ego adhuc ampliorem propoſiti dubij ſolutionem quæro, ideſt. Nulla huius, vel alterius cauſæ habita ratione, Eccleſiæ quid magis in vniuerſum expedit?

Ang. Eccleſiæ magis expedit, quod magis fideles ædificat, plus terroris incutit aduerſarijs, & plus terret hæreticos.

Ho. Fideles ſuauiùs, ac deuotiùs acceptant quæ Patres in Concilijs de fide, religione, ac moribus tractant, quàm ea, quæ ab ipſo ſolo capite immediatè obſeruanda traduntur, licet nihil prorſus de ſuprema eius in ſacris definiendis auctoritate, & poteſtate dubitent. Tunc etiam dæmones magis timent, & ſummopere terrentur hæretici, cum omnes, aut multos perilluſtres Eccleſiarum Principes, magnos vtique viros magna charitate præditos, quaſi inſtructo agmine contra hoſtes, in vnum confluxiſſe aſpiciunt. Tunc enim verè Eccleſia dæmonibus, & hæreticis terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata; quid enim poſſunt & ſi fortiſsimi, & in magno numero milites, antequàm in vnum coaleſcant exercitum?

Dæmones, & hæretici plus timent fideles in vnum collectos, quã diſperſos.

Ang. Ita eſt. Diabolus minus fortiſsimum quemque ſingillatim timet, eoſdem verò in vnum collectos quàm maximè reformidat.

Ho. Quandoque formidat, ſed non deijcitur, nec deſpondet

det animum; ò quantæ eius ad decipiendum inſidiæ.

Ang. Hoc tibi perſuadeas, plus inter dæmones, quomodo gregem Chriſti decipiant, capiant, & exterminent, ſtudium adhiberi, quàm inter paſtores (bonorum pace) quomodo eundem gregem ab eorũ inſidijs, muſcipulis, ac deceptionibus liberent.

In vita Mariæ Oegnaecnſis. *Ho.* Legi ego dæmonem ſanctæ cuidam fœminæ apparuiſſe ſe paſtorem eſſe iactantem, atque dicentem. Ego Paſtor plures habeo greges, & ego cognoſco illos, & illi me, & vocem meam audiunt, & pro vota mihi obſequuntur.

Ang. Teterrimus ille paſtoris ſibi nomen arrogat, ſed non fruſtra, reprobos namque hædos futuros æternæ mortis pabula per paſcua vanitatis ad paſcua ducit damnationis, iuxta

Pſal. 48. illud Dauidis vaticinium: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Denique diligentius conſultant illi, & vigi-

Prælatorum negligentia. lant contra oues, quam paſtores pro ouibus.

Philip. c. 2. *Ho.* Hoc ita eſſe non dubito, ſed non miror, *cum omnes quærant quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.*

Ang. Imò quamplures quærunt quæ ſunt Ieſu Chriſti.

Ho. Vel ego non intelligo, vel ironicè loqueris, vel certè nouiſsimi Eccleſiarum Principes, feruentiori, quàm primi, charitate præditi, celtiora perfectionis culmina tenent, vt ſe ſuiſque neglectis, quæ ſunt Ieſu Chriſti ſollicitè quærant.

Ang. O ſimplex homuncio, & ſolum clauſtralium conſcius, non intelligis?

Ho. Modo intelligo, quærunt quæ ſunt Ieſu Chriſti, ideſt patrimonium Chriſti, quo ipſi, ſuique ditentur. O plenam veritatis ſententiam, licet odium ingens parituram, dignam, cui Paulus ſe ſubſcribat.

Ang. Ne quid nimis. Verba mea alio etiam ſenſu, & quidem mitiore mitis homo intelligere cur non poterat? Vt quemadmodum multi ſunt ſua quærentes, ideſt, non gratis Chriſtum diligentes, non Deum quærentes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Ita multi inueniantur, non proprium, ſed Dei honorem, non aurum, ſed animarum lucra ſitientes.

Ho. O me miſerum, quàm ſæpè multiplici in deteriorem ſenſum interpretatione delinquo.

Ang. Ex vnius autem, vel aliquorum auaritia, ambitione, ſuperbia, credere hæc vitia in omnes communiter irrepſiſſe, inexperti hominis eſt, & paucorum conſcij, vna

enim

enim hirundo vernum tempus non efficit.

Ho. Nondum ſatis mihi conſtat, quid ex tua ſententia ſit de propoſita quæſtione ſentiendum.

Ang. Tu hanc regulam obſeruato, in qua diabolica præſertim fraus detegitur, & ars deprehenditur. Totum, quod diabolus à fidelium cœtu auferre, vel antiquare conatur, id Eccleſiæ vtiliſſimum eſſe: ſcit enim callidus hoſtis, concilia, niſi noua acceſſerint, minus ante acta ſeruari; Conciliorum namq; decreta per alia deinceps iterata concilia diligentiùs obſeruantur, quorum obſeruatione Eccleſia progreditur quaſi aurora conſurgens. Regula obſeruanda pro cognoſcenda dæmonū fraude.

Ho. Timeo, ne modo retrocedat quaſi luna deficiens. Nam vt video Eccleſia his temporibus in via Dei magis deficit, quam proficiat.

Ang. Potius audire vellem, membra eius plus in ea deficiunt, quàm proficiant, quia iuniores Eccleſiæ filij priſcorum vitam, & opera ficte, & ſuperficie tenus imitantur, eorumque geſta velut perſonati extrinſecùs repræſentant.

Ho. Et maximam hanc ſuæ defectionis iacturam gemebunda deplorat Eccleſia illis verbis: *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me, quando ſplendebat lucerna mea ſuper caput meū, & ad lumen eius ambulabam in tenebris? ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo? quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.* Iob.c.29.

Ang. Vaticinium hoc non propriè præſens, ſed vltimum Eccleſiæ tempus, ſtatumque protendit, quando inſignem illum & præ cunctis nequiſſimum aduerſarium Antichriſtum effræna iactantia elatum ipſa Eccleſia cogetur tolerare irriſa.

Tunc enim tantis præmetur malis, vt præſentia hæc tempora quantumuis miſera, longè miſerabiliora aduenisse proſpiciens, penè deſolata deſideret, dicens, quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos?

QVA, ET QVALI PACE ECCLESIA CVM *filijs his temporibus perfruatur.*

CAPVT SEPTIMVM.

Ho. PRæſens Eccleſiæ ſtatus licet ex vna parte ex meliore detarior, ex alia tamen ex deteriore melior euaſiſſe videtur.

Ang. In quo conſiſtit noua hæc præſentis ſtatus melioratio?

Iſai.c.32. *Ho.* In pace, qua Eccleſia fruitur; Nunc enim ipſa *ſedet in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta.*

Ang. Optimè, quia optimates eius quique filij ſedent in requie opulenta delitiarum, corporum, extrema interim animarum, faxit Deus, ne laborent inopia, nunc æſtiuas, hiemaleſque domos intolerabilibus extructas impenſis, & terreſtres vndique Paradiſos videre licet.

Pſ.61.do. *Ho.* Etſi diuitiæ cum delitijs affluant, eos tamen ad illas non arbitror cor apponere; Ipſi enim cum ſint optimates, & viam Domini, & iudicium Dei ſui probè norunt, & ſciunt etiã poſt primam totius orbis ruinam, de terrenis ad cæleſtes tranſire delicias, eſſe penitus impoſsibile, & rurſus hominem eſſe, & aduerſa non perpeti, & ſaluari, eſſe pariter impoſsibile.

Ang. Si ipſi veræ Philoſophiæ inſtituta tenerent, ab eo, quod erit ſemper idem, accidentia certè ſepararent peritura, & magis cogitarent ſe homines eſſe, quàm principes, homineſque non principes ſiſtendos eſſe horrendo ſummi Iudicis tribunali, ad cuius pedes potentiſsimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.

Et quidem præ cæteris ipſi harum caducarum rerum vanitatem, & inconſtantiam deberent exploratam habere, vel tot lachrymabilium tragediarum experientijs eruditi.

Ho. Et eò magis eruditi eſſe deberent, quò Chriſtiani ſunt, quorum eſt mundum ſpernere, ſublunaria calcare, Chriſtum ſequi, cæleſtia ſperare; cum & ipſi quoque gentiles, qui nullam inuiſibilium fidem, nullam futurorum bonorum ſpem, expectationemque habebant, id clarè cognouerint, quorum ſapiens quidam harum inconſtantium rerum præ cæteris eruditior exclamabat.

Ca-

Caduca, & fragilia puerilibus crepundijs conſentanea ſunt iſta, quæ opes humanæ vocantur; affluunt ſubitò, & repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc, atque illuc acta, quos in ſublime extulerant, improuiſo recurſu deſtitutos in profundum cladium mergunt; & alius; Res iſtæ terrigenæ, quas tanti faciunt terræ filij, veniunt, abeunt, accedunt, recedunt, antequam comprehendantur, auolant. Ego autem rerum mundanarum inconſtantiæ, & immutabilitatis nullum euidentiùs, & efficaciùs monumentum inuenio, quam id, quod luna menſtruis incrementis, decrementiſque perpetuò refert, cuius non tota ſemper conſpicitur magnitudo, ſed nunc quidem tota ſituata in orbem, & perfecta, nunc verò in deliquio luminis, & imminuta conſpicitur, altera ſui parte, quid deſit, indicans; vt illinc nobis præſtetur exemplum, nullam rem humanam fixam, & ſtabilem eſſe, vtpotè lunæ viciſſitudines imitantem; ſed alias, cum antea non eſſent, exortas, ad ſuum ſtatum pergere capeſſendum; Alias item, cum proprium attigerint vigorem, & ad ſummam adoleuerint incrementi menſuram, rurſus quotidianis decrementis ſenſim corrumpi, ac perire, & imminutas aboleri, atque intercipi. **Rerum caducarum inconſtantia.**

Ang. Perutilem hanc lunæ philoſophiam ex magno Baſilio mutuaſti; ſed ſi principes, & magnates (vt dixi) veræ philoſophiæ inſtituta tenerent, ita ſapienter inferrent. Nos igitur ex lunæ contemplatione quam fluxa ſint noſtra perdiſcamus, atque erudiamur, in mentemque celerrima rerum humanarum nobis mutatio veniat, ac non magnificè nobis ipſis ob vitæ proſperitatem placeamus, non potentatibus gloriemur, non ob incertas, & inſtabiles diuitias efferamur: deſpiciamus carnem, in qua potiſsimùm verſatur mutatio, curam animo, diligentiamque exhibeamus, bona cuius dumtaxàt immobilia eſſe conſtat. Verùm ipſi ſolo humanarum rerum, atque opum euaneſcentium amore detenti, nil prorſus de his cogitant infelices, ſed in coaceruandis diuitijs, & dilatandis ditionibus ſolummodo vehementer inſudant.

Ho. Ego, ſeruata illa, quæ decet Angelum, reuerentia de Prælatis Eccleſiæ, Chriſtianiſque Principibus aliam fateor me habere ſententiam, nimirum, eorum plures minus terrenis affectibus implicari, plus cæleſtibus inflammari, & maiore præditos charitate eſſe, quàm multos, quibus arctiori perfectio- **Theologus principes laudat, ſed Angelus aduerſatur.**

 nis

nis vinculo,cura incumbit terrena, quæ ſponte abiecere, negligere, ardentioribus cæleſtis patriæ deſiderijs inflammari,& ampliore charitatis igne ſuccendi.

Ang. Similes tui magiſtros auribus prurientes ſibi Principes coaceruant..

Sententiæ notabiles prolatæ ab Angelo.

Quàm veriùs diceres. Principum vita nihil aliud eſt,niſi ridens dolor,plorans riſus,lamentabile gaudium,funebris viuorum corporum pompa,ac nobilis vermium apparatus; difformis formoſitas, infamis honor, præceps altitudo, effrænis equus,cœcus duce carens,aereum caſtrum, vacillans ſuper arenam turris, ſolitudo horroris plena, inhabitabilis regio, ac tandem crudelis viuentium orcus.

Quàm vtiliùs item diceres,mortales omnes, & præſertim Principes, miſeros quoſdam in exilium pulſos proprijſſimè imitari, hiſce adiectis conditionibus, & hac in eos prolata ſententia. 1. Nudi, & inopes, nihil prorſus ſecum habentes locum intrent exilij. 2. Exilij tempus plus, vel minus pro ſingulis duraturum ad libitum ſummi Principis reſeruetur, incertis ſemper de die exulibus exiſtentibus. 3. Completo exilij tempore,nudi,& inopes,nihil omninò eorum,quæ ibi ſunt, ſecum auferentes exeant, vt qualis illuc fuit ingreſſus, talis quoque ſit inde egreſſus. 4. Inde egreſſi ante tribunal principis ſiſtantur, rationem ibi exactam reddituri eorum omnium, quæ toto exilij tempore in ea regione poſſederunt,pertractarunt,negociati ſunt. Eiſdem conditionibus tenetur homo, & huc exul ingrediens, & hìc exilium patiens, & hinc ab exilio reuocatus egrediens.

Ho. O miſerabilis prorſus humanæ conditionis infirmitas, quemadmodũ nudus, & plorans in hanc miſeriarum vallẽ miſer homo ingreditur, ſic plorans,nuduſq;regreditur,quid ergò prodeſt ei,quod laborauit in ventũ?quicquid hìc inuenitur,hìc relinquitur,non eſt noſtrũ,quod nõ eſt ſemper noſtrũ.

O certè beatos, qui parum in hoc exilio poſſederunt, beatiores,qui nihil,beatiſsimos,qui nec ſeipſos habuerunt.

Duplex,& vtraq; ingens humanæ conditionis infirmitas.

Ang. Quòd homo hinc emigrans, nihil auferat, quemadmodum huc ingrediens nihil intulit, parum refert, ſed ea eſt calamitatum,& miſeriarum ſumma, hominem ſcilicet exoneratum auro,oneratum peccatis egredi, nunquam per totam deinceps æternitatem exonerandum; Hæc inquam, extrema eſt perditorum hominum infelicitas, propter quod peccant,

mo-

morientes hîc dimittunt, & peccatum, quod committunt, ſecum portant, ſecum ſine fine manſurum.

Hæc, & ſimilia miſerorum Principum auribus, & cordibus ſunt ingerenda; ſed noua hodie magiſtrorum caterua, velut ſal inſulſum, & infatuatum, non aufert, ſed adauget corruptioni putredinem; heu miſeros lachrymabiliùs quàm cæteros, deplorandos; ſi meruerunt ſalis poſſidere ſaporem, vt inſipientium poſſint corda condire, cur & ipſi infatuati tali vitio, immundis ſe porcorum conculcandos pedibus præbuerunt? ita vt nec alios, nec ſeipſos condire queant. Sic relinquuntur homines, & præſertim proceres Apoſtolico ſale ſalubriter non aduſti, tartareis ignibus adurendi.

Ho. Angele, vera ſunt iſta; ſed quidnam cum proceribus habes? quid cum doctoribus, reuerentiæ cauſa, vel potius prouidis, magnique ponderis cautelis primates non tam ſeuerè docentibus, non tam acriter reprehendentibus? cum ipſi paſtores, concionatores, atque magiſtri blanda potius ſuaſione, quàm acri reprehenſione Principes ad meliora conuerti experientia duce didicerint. Vhæ illis, ſi prælatus eorum eſſes, ſed tu non compateris, quia nec pateris.

Ang. Itaque canes muti ſunt iſti, qui nec morſibus, nec ſaltem latratibus audent beſtias à grege Domini deterrere. Canes ſiquidem non latrant, vel ignauia, vel quod offam porrectam deglutiunt; ſic myſtici canes latrare ſæpiùs infideliter ceſſant, vel quia curæ paſtoralis immemores, vitæ luxui indulgent, otioque tabeſcunt; vel quia offa, nempe dignitatibus, diuitijs, & penſionibus delatis delectantur, & perfruuntur, qui vt ad prætenſam honoris, vel dignitatis metam perueniant, quos oportet redargui, canum blanditijs adulantur.

Tu verò quod loqueris neſcis, quia vnum tantummodo, & hoc quidem lucidum conſpicis emiſphærium, ſi tenebroſum quoque videres, & quanta ibi patiuntur tormenta, qui olim illuſtres hoc lucidum incolebant; aut taceres, aut certè aliter loquereris. Cæterùm, Angelus etſi no patitur, compatitur tamen, non ſenſibiliter miſerando, ſed efficaciter adiuuando. Grauiſſimæ negligentium paſtorum pœnæ in alio ſæculo exoluendæ.

Ho. Grauia nimis, relatuque tremenda ſunt iſta, quæ pro ſuis meritis mali Principes ſortientur, quorum miſerabilis, ſed deſperata apud inferos lamentatio in libro Sapientiæ adamuſſim deſcribitur. Sap. 5. Sed ad pacem Eccleſiaſticam redeamus. Quod Eccleſia maius in diem pacis ſuſceperit incrementum,

vel ipſa euidentia teſte, negari non poteſt, & rurſus, quod ipſa ad præſens in dulcedine, & abundantia pacis cum filijs pariter requieſcat, euidenter apparet,

Ang. In dulcedine pacis nunc quieſcit Eccleſia? Sed audi
Iſai.38. ipſam oppoſitum reclamantem: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*; ſi pax eſt, ſeruire gulæ, indulgere ventri, ſaginari, præ inertia languere, laſciuienti carni fræna dimittere, copioſam huius pacis abundantiam reperies, & inter eos præcipuè, quos præ omnibus laborare, & regendi onus, & gregem curare perurget.

Ho. Scio ex his quamplures iamiam licet in proximo morituros, ſic ſui, ſuæque mortis immemores vitam ducere, vt diceres pactum pacis eos cum morte feciſſe.

Amoſ.5. *Ang.* Vis noſſe, qua pace fruatur Eccleſia? *Quomodo ſi*
Nota, qua pace nunc frua- *vir fugiat à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingredia-*
tur Eccleſia. *tur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.*

Ho. Si talem habet pacem Eccleſia, qualem habet vir, quem inſequitur leo, inuadit vrſus, & mordet coluber; certè non pacem habet, ſed pugnas, timores, anguſtias, preſſuraſque perpetitur: At quid ſibi volunt tria hæc animalia Eccleſiam referentia, & præſertim tertium venenatis eam morſibus lacerans?

Ang. Hæc ſunt tria prælia, quæ cum triplici hoſtium genere geſſit Eccleſia videlicet tyrannorum, hæreticorum, & malorum Chriſtianorum.

Ho. Optimè quæ dicis intelligo, ſed hoc tertium, in quo filij cum matre pugnant, reliquorum grauiſſimum dixerim: Ad quem enim vltra mater deſolata auxilium petitura confugiet, ſi proprij eam filij ambitione, velut inferorum furijs agitati ſæuiſsimè perſequuntur?

Ang. Vox Eccleſiæ ſuam hanc deplorantis miſeriam gemebundo ſacri Vatis oraculo ad viuum in hunc modum ex-
Baruc.4. primitur: *Nemo gaudeat ſuper me viduam, & deſolatam, à multis derelicta ſum propter peccata filiorum meorum.*

Tu verò fili mi, ambitionem, quæ in clauſtris etiam ſe ingeſſit, quaſi peſtem fuge. Optent ambitioſi noti omnibus viuere, vt ſibi moriantur ignoti; Tu autem ama neſciri, & pro nihilo reputari, vt in morte conſcientiæ tuæ probè notus, Deoque acceptus inueniaris.

VA-

VARII ECCLESIAE STATVS RECENSENTVR, eorumque perfectio quanta ſit aperitur.

CAPVT OCTAVVM.

Ho. TRiſtis illa,& pluries repetita lachrymis conclamatio, quam Propheta perſonam gerens Eccleſiæ edidit, vt in calce ſuperioris capitis docuiſti; anſam mihi præbuit dubitandi, quomodo videlicet Eccleſia viduam ſe appellet, quæ ſponſum habet in cælis,& vbique regnantem.

Ang. Quid eſt Eccleſia?

Ho. Congregatio fidelium, ſiue in ſtatu gratiæ ſint, ſiue peccati,dummodo ſit vna fides,vnum baptiſma, vnum ouile ſacramentorum comminione,& vnus omnium Paſtor.

Ang. Rectè, igitur Eccleſia reſpectû eorum, qui per peccatum gratiam amiſerunt, ſe viduam nominat; Animæ enim mortalis peccati labe infectæ ſponſum, qui talem non ſuffert fœtorem,àſe turpiter abiecerunt,& viduæ,ac deſolatæ miſerrimè ſine vita, ſua corpora vegetant. Hinc cauſam percipis, cur Eccleſia nigram, & formoſam ſe vocat,nigram propter peccatores, quorum animæ eſtant extinctis carbonibus nigriores,omnique turpitudine turpiores;formoſam, quia continet fideles iuſtos virtutum varietate pulcherrimos. Quo ſenſũ Eccleſia vidua dici poteſt.

Ho. Ita eſt,ſed cur potius ſancta,quàm impia nuncupatur Eccleſia,cum ipſa minus fortaſſe ſanctorum,quam impiorum abundet?

Ang. Ex philoſophia hoc ſaltem ſcire deberes,quæ vnumquodque à ſuo potiori, ac nobiliori præcipit nominandum. Sancta,ſicut verè eſt, nuncupatur Eccleſia à ſanctitate gratiæ, & ſancta ad finem vſque perſiſtet, nunquam in eius gremio quamplurimis hac ſanctitate præditis defecturis.

Ho. Cur etiam deſolata dicitur tanta filiorum multitudine conſtipata? Quomodo Eccleſia deſolata dicatur.

Ang. Eccleſia non tam filijs, quam virtutibus ſe deſolatam plorat,quam ſi deſolatæ cuidam mulieri ſimilem dixeris, ſuæ deſolationis mœrorem aſſequeris.

Finge igitur mulierẽ,quæ ex ditiſſima in extremam delapſa ſit pauperiem. Hæc videns arcas, & ſcrinia rebus pretioſiſſimis quondam plena, nunc his omnibus vacua, velut inania Eccleſia deſolatio ſimilitudine declaratur.

quæ-

quædam ſymbola, ſibi ad argumentum tranſactæ felicitatis, & præſentis miſeriæ derelicta, illachrymatur amarè, vbi eſt inquit theſarus meus, vbi pretioſa quæque mea, ideſt, monilia, armillæ, torques, inaures, annuli, veſtes, & cætera indumenta ſerico, auroque contexta? euanuerunt in nihilum, & ecce ſcrinia, quæ mea ſeruabant depoſita, aranearum telis expoſita.

Eccleſiæ hoc idem accidiſſe, malorum, quæ patitur, experientia comprobat. Olim pia, & deuota in vnum pſallentium multitudo; Virginum chorus, quæ Domini ſunt aſſiduè cogitantium. Viduarum cœtus hoſpitalitatis officio, ac ſtudio in miſeros diligenti, ſe totaliter mancipantium, ſcrinia erant, & arcæ, quibus pretioſæ Eccleſiæ dotes, & opes, virtutes ſcilicet, & multiplicia Spiritus ſancti chariſmata, ac varia gratiarum munera recondita ſeruabantur.

Quàm diſſimiles nouiſſimi Eccleſiæ filij à priſcis illis inueniãtur.

Nunc etiam pſallentes in vnum multi. Virgines, & viduæ quamplures adſunt, ſed vmbræ ſunt, & vana quædam diſſipatarum opum ſimulacra, bona, quæ non habent, ementita bonitate extrinſecùs referentia. Conueniunt hodie, vt olim Clerici, conueniunt Clauſtrales ad pſallendum in vnum; ſed tunc vna omnium mens, cor omnium vnum fuit, hodie ne vna quidem in mente concordiam vllam reperies, ſed bellis vndique omnia feruent.

Nouellæ quotidie Chriſto Virgines aggregantur, corpore omnes quidem integræ (*Ho.* faxit Deus) ſed earum plures mente corruptæ; O quot hodie ſunt, quæ dicunt: Ego ſum Virgo, ego ſum Virgo; ventoſæ, contentioſæ, delitioſæ, veſte compoſitæ, moribus diſſipatæ. Quid prodeſt, ſolius carnis integritatem ſeruare, & malignorum ſpirituum ſtupris mentis interiora corrumpere? Virgo carne non animo, virginitatis præmio non potitur; At priores illæ pulcherrima vtriuſque hominis integritate florebant, duplici decore venuſtæ, ſolum, & ſuper omnia illi placere volentes, qui eſt vnigenitus Dei Filius, Vnigenitus etiam Virginis filius, vnus omnium ſacrarum Virginum ſponſus, ſanctæ virginitatis fructus, decus, & munus, quem corporaliter ſancta virginitas peperit, cui ſpiritualiter ſancta virginitas nubit, à quo ſancta virginitas fœcundatur, vt perſeueret intacta, à quo decoratur, vt permaneat pulchra, à quo coronatur, vt regnet perenniter glorioſa.

Viduas vbiq; inuenies, non tam viris, quam virtutibus miſer-

rimè viduatas. Antiquæ verò amiſsis viris,caſtam, ſed laborioſam viduitate vitam, virtute comite tranſigebant.

Confer etiam delicatos,& bene paſtos huius temporis clauſtrales cum his,qui olim turmis vrbium derelictis,herbis,herbarumque radicibus victitabant, & videbis quàm maxima ſit inter vtroſque diſtantia, & quantum iſti ab antiquo illo perfectionis tramite deuiarint.

Ho. Hos omnes gradus ſæpè contuli,& erubui,& ingeminatis ſuſpirijs exclamaui. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Trenor.4.

Multos iam Baſilios,Franciſcos,Dominicos ſpecietenus videre licet, ſtatuas nimirum in vmbris, quos ſi commendare voluero,multum fuerit, & fortaſſe nimium, ſi repetitæ echus voce eos ſimiles dixero; quia quemadmodum echus vix vltimam emiſſæ vocis particulam per caſſum aeris repetit,ſic pariter iſti præcedentium monachorum ſimiæ potius, quam ſimiles,magnum eſt,ſi præclara eorum opera, & exempla in ſuis conuerſionis primordijs,vel in minimo imitentur.

Ang. Vlterius perge. Olim Catholici prælationum honores;ac dignitatum culmina ſic abhorrebant, fugiebant, recuſabant, vt quandoque etiam, cum nullum aliud pateret effugium, denigratione famæ pijs quibuſdam fucis ſimulata, vel mutilatione membrorum indignos apparere, & inhabiles ad ea ſe reddere geſtiebant. Nunc autem tanta inualuit dominandi ambitio,tanta increbuit præſidendi, & imperandi cupiditas,vt quamplures ambitionis dementia capti,quaſi inferorum furijs agitati, nil pro honoribus aſſequendis intentatum relinquant,contemptis quandoque Deo,conſcientia,anima; ac bonis illis ineffabilibus,fide creditis, ſpe repromiſſis,charitate debitis,ſpretis,& pro nihilo habitis, pro quibus cætera ſpernenda erant,& pro nihilo reputanda. Honoribus, quos priſci fugiebāt,moderni impudenter accurrunt.

Ho. Heu nos miſeros, quod illi erant mundo, hoc nos ſumus cælo; illi mundo prorſus mortui viuebant cælo,nos cælo mortui,mundo viuimus perituri,illi vale dixere mundo ei terga vertentes,cælum ſemper aſpicientes, tanquam hinc citiſſimè tranſituri,illic perenniter regnaturi, nos vale dicimus cælo, terram perditè diligentes, tanquam in ea perpetuò remanſuri,cras eam nihilominus relicturi.

Patres noſtri ad honores vocati fugiebant, filij non vocati temerè, & impudenter occurrunt; tanto ardentiùs his temporibus,

poribus, ab indignis dignitates indignè quæruntur, quanto feruentiùs olim fuerunt à dignioribus recuſatæ.

Ang. Sed vtrorumque exitum intuere, & videbis illos, dum honores fugerent, ampliſſimos aſſequutos honores; iſtos verò dum honores quæritant, ſine honore decidere, & in contumelia inter mortuos in perpetuum ſuperbiæ, vento inflatos cernes ſine voce diſruptos: Hæc eſt enim honoris natura, vt inſequatur, & apprehendat ſe humiliter fugientem, & ab eo, qui ſe arroganter inſequitur, inapprehenſibilis auolet. Quapropter, qui cupit honorem conſequi, non ſequatur, vt apprehendat, ſed fugiat, vt apprehendatur.

Ho. Qua etiam ratione hodiernum Chriſtianorum vulgus circa temporalia, & ea, quæ ſunt corporis more pecudum occupatum, Chriſtiani nominis appellatione congaudet, ſi non eſt verus Chriſtianus, qui non plus pro anima, quàm pro carne laborat? & certè nil ferè pro carne, ſed in carne pro anima ad mortem vſque deſudabant antiqui, & ad propoſitum ſibi certamen currebant impauidi, animoſiores effecti exemplo Auctoris fidei, & conſummatoris Ieſu, *qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta.*

Hebr. 12.

Ang. Denique heroes illi iſtius ignobilis mundi nobiles contemptores, ſic ſe inuicem ad illius contemptum animabant; Nolite diligere terram, quia non eſtis de terra, nec de terra veniſtis, ſed pro tempore ſuſcepiſtis terram, vt per terram vincatis terram; ſed eſtis de cælo, & iterum cum palma, atque triumpho redituri eſtis in cælum.

Ho. O quæ audio, non ſunt iſtæ noſtrum miſerorum voces, ò nos deſides, ignauoſque filios tantùm à præclara illa Patrum generoſitate degeneres, non illos nos curamus de hoſtibus reportare triumphos, non ad illas nos aſpiramus coronas, legitimè certantibus præparatas.

Ang. Ex his omnibus conclude ſupremum nouiſsimi non attingere infimum primi, & imperfectionem primi perfectiorem eſſe perfectione nouiſsimi; quia bono ſuccedit malum, & malo peius, & peiori peſsimum.

Ho. Angelus eſt, qui loquitur, qui poteſt capere, capiat. Quid de numero montem perfectionis adeuntium, vel in eius culmine conſiſtentium? etenim longe minorem eſſe, quàm cunctis retro ſæculis vnquam fuerit, innumera eorum, qui terrena ſapiunt, multitudo teſtatur.

Ang. Plu-

Ang. Plures ſunt hodie, qui de perfectione diſputant, quid ipſa ſit, indagantes, quàm qui ipſam teneant, vel à longe ſequantur.

Ho. Ita eſt certè. Virtutum definitiones, earumque quidditates diligenti ſtudio addiſcimus, non vt eis benè vtamur, ſed vt de eis rectè loquamur.

Ang. Quid ſit virtus, facilè nouit, & virtutis hoſtis; quid religio, religionis expers; quid continentia, incontinens; quid iuſtitia, iniuſtus; quid patientia, impatientiæ ſtimulis agitatus; quid ieiunium, epulo; quid amor Dei, nimium ſui amore poſſeſſus; quid perfectio, imperfectus; quid contritio, contritionem nunquam veraciter ſentiens. Sic vanitatem præferunt ſanctitati, potiùs videri Sanctos, quam eſſe eligentes.

QVAM DIFFICILE SIT, CÆLESTEM beatitudinem adipiſci.

CAPVT NONVM.

Ho. QVid interroganti ſi pauci ſunt, qui ſaluantur, tu, qui non falleris, reſponderes?

Ang. Illud, quod Chriſtus hoc idem ſciſcitanti reſpondit: *Contendite intrare per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui* Luc. 13. *intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Matt. 7.

O quàm falluntur fallacis gaudij, diuitiarumque fallacium amatores, qui ſalutem, quam cum timore, & tremore operari oportet, quaſi nihilum paruipendunt, & aliter, quàm Saluator docuit, & conteſtantur Scripturæ, ſe conſequi poſſe ſtulta ſecuritate exiſtimant. Tu autem difficultatis magnitudinem ad eam obtinendam æquo perpende iudicio, & iuſtam verbis meis, dum loquor facito ſtateram.

Æternam illam felicitatem fidelibus repromiſſam, multiplici nomine appellatam, pluribus titulis inſignitam, ac varijs rebus ſignificatam ſacræ Literæ repræſentant, quorum ſingula ſuis quibuſque difficultatibus implicata, quàm difficile ſit eam conſequi, manifeſtant. Si ſub nomine Regni cælorum eam tibi ſcriptura proponat; ſtatim maxima additur difficultas, quia *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matt. 11.

Ho. Quid ſit Regnum cælorum vim pati, & illud à violentis rapi, non ſatis inter ſe concordant interpretes; & ego quorum placita magis ſequar, in ancipiti verſor; Igitur piè inter ſe hominibus diſcordantibus, Angelica expectatur ſententiâ.

Quot modis intelligatur Regnum cælorum vim pati. Primo modo.

Ang. Regnum cælorum vim pati, intelligi multipliciter poteſt. Primo de vi, quam ſibi inferre debet, qui Regnum cælorum eſt accepturus; quapropter, ſi tibi in animo eſt rapere regnum Dei, violentiæ te dato, ceruices tuas iugo Chriſti ſubmittito, ante, teipſum vince, quo victo, omnia pariter vinces; Victor tui, de victoria, de triumpho, de corona ſecurus bellatum perge.

Ho. Quàm vera ſunt iſta, quia nec victoria honoratior, nec triumphus glorioſior eſſe poteſt, quàm ſe ipſum vincere, & proprium animum triumphare. Iuxta illud: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore Vrbium*; de quo Poeta cecinit. Ardua res eſt viciſſe alios, victoria maior eſt animi fluctus compoſuiſſe ſui.

Prou. 16.

Ang. Huic vincentum generi promittitur omne bonum myſtica ſenarij appellatione diſtinctum, nempè eſus ligni vitæ, manna abſconditum, ſtella matutina, veſtimentis albis veſtitum iri, perpetua in templo Dei ſtabilitas, atque cum Chriſto in eius throno conſeſſus.

Apoc. 2. & 3.

Secundo modo.

Vel Regnum cælorum dicitur vim pati, quomodo noua aliqua merx, ad quam turmatim magna mercantium multitudo accurrit, vt qui vi irruant in mercem illam deſideratam, & quiſque alium præuertere ſtudeat præ deſiderio; ſic vera hominis felicitate à gentibus tandem cognita, vim fecerunt in illam, eamque vnuſquiſque pia quadam æmulatione præripere geſtiebat.

Tertio modo.

Vel tertiò dicitur Regnum cælorum vim pati, quia vobis (ſicut nec nobis) per naturam non competit, ſed eſt ſupra naturam, & alienum à vobis, vt ob id niſi vi quadam à vobis obtineri non poſſit.

Ho. Certè grandis eſt violentia in terra nos eſſe generatos, & cælorum ſedem quærere, & poſsidere per virtutem, quæ non tenuimus per naturam. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur. Beata, inquam violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti, quaſi malam rem admittimus, dum violentiam,

lentiam facimus,ſed de iniuria nemo cauſatur, vis admittitur & religio propagatur. Aggredimur in itinere Dominum, & more latronum ſuis eum ſpoliare nitimur, cupimus illi auferre Regnum,theſauros,& vitam,ſed ille tam diues,& largus eſt, vt non adimat,non reſiſtat, & cum omnia dederit,nihilominus omnia ipſe poſſideat.

Aggredimur,inquam,illum non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine,bonis operibus,caſtitate.

Ang. Hæc ſunt arma fidei veſtræ, quibus in congreſsione certetis; vt autem his armis vti in vi inferenda poſſitis, antè corporibus veſtris vim quodammodo faciatis oportet, expugnate membrorum vitia, vt virtutum præmia conſequamini.

Ho. Ita eſt, prius enim ipſi regnare debemus in nobis, vt regnum poſſimus diripere Saluatoris. Sed quia hæc violentia paucorum eſt, & carnalibus difficillima, illis quoque difficillimum eſt cælum rapere.

Ang. Si ſub nomine domus Dei æterna proponatur felicitas,in qua manſiones multæ ſunt, eius porta eſt anguſtiſſima, nec ſine magno labore,& ab his tantum,qui terrena abijciunt, penetrari poteſt. Si Chriſtus per anguſtam, laborioſamque viam ambulauit.& cæteri,qui eius ſequuti ſunt veſtigia, pariter ambularunt,nunquid pro homine quolibet latiores,& planiores ſternentur viæ? ſi Chriſtum,cæteroſque fideles per anguſtam portam cernis ingreſſos defatigatos, afflictos, contumelijs affectos,curuos,membriſque,vt per eam caperent, mutilatos,nunquid aliæ tibi ampliores aperientur portæ, & fornices erigentur? Quod naturali ſummi Patris filio non eſt conceſſum,fore adoptiuis concedendum,ſtultum eſt arbitrari. Ioan 14. Matth.7.

Ho. Quid propriè per portam,& viam anguſtam,& arctam intelligere nos oportet?

Ang. Mandatorum impletio,& virtutum operatio,anguſta porta,& arcta via dicuntur.

Ho. Quomodo arcta, & anguſtà mandatorum impletio, & virtutum operatio dici poſſunt, cum ipſe Dominus dicat; *Iugum meum ſuaue eſt,& onus meum leue*,& alibi ſcriptum ſit. *Mandata eius grauia non ſunt*; & Pſalmiſta dicat: *Latum mandatum tuum nimis*? ſapiens quoque dicit: *Viæ eius, viæ pulchræ*; Ad viarum autem pulchritudinem pertinet, vt latæ ſint,& ſpatioſæ. Matth.11. 1.Ioan.5. Pſal 118. Prou.3.

Quot modis dicatur via virtutis arcta.

Ang. Vnum & idem varijs rationibus, diuerſiſque reſpectibus diuerſimodè nominari, nullum eſt inconueniens. Arcta via virtutis dicitur. Primò quia paucos recipit, & admittit, ſi ad iniquitatis viam innumerabilium temeratam veſtigijs referatur. Secundò arcta eſt virtutis via, quia eius natura, operatio, atque obiectum ardua ſunt, & difficilia; deinde cum ipſa virtus in medio vitiorum arctis quibuſdam iuſtitiæ legibus ſit concluſa, facilis eſt ab ea ad extrema digreſſio. Contra verò ſpatioſa eſt via iniquitatis, quia ex ea hinc inde errante innumeræ aliæ vitiorum ſternuntur viæ, vt veriſſimè dici poſſit; vno quiſque modo bonus eſt, multiſque nefandus. Tertiò arcta eſt virtutis via, quia ſub certis quibuſdam pietatis legibus hominem arctat, atque liberam quæuis agendi contrahit facultatem.

Dicuntur nihilominus mandata Domini non eſſe grauia, & iugum eius ſuaue eſſe, & leue onus, quia *ſpes cæleſtium* præmiorum, & feruens Chriſti amor leuia, & ſuper mel, & fauum dulciora iuſtis ea reddunt. Carni enim, & carnalibus grauia ſunt, non ſpiritui, nec ſecundum ſpiritum viuere aſſuetis.

Ho. Hoc idem ſanctiſſimo Patri meo Franciſco in ſuæ feruentiſſimæ conuerſionis primordijs accidit, teſtante ipſo, ea, inquit, quæ mihi videbantur amara, dulcia poſtmodum, & animæ, & corpori euaſerunt.

Ang. Denique via, & porta, quæ ad vitam ducit, arcta, & anguſta dicitur, quia non capit huius mundi gloriæ turgidos, faſtu elatos, luxu diſtentos, diuitiarum ſarcinis oneratos, ſed nudos, & ab omnibus huius mundi cupiditatibus liberos; & veluti exutis corporibus in ſpiritum extenuatos.

Si ſub nomine Paradiſi cæleſtis beatitudo conſideranda proponitur. Hic ſimul perpende, quàm magno non auri, vel argenti, ſed lachrymarum, laborum, ac ſanguinis pretio emerit illũ Dominus, *oportuit enim eũ pati, & ſic intrare in gloriam ſuam*, & quanti pariter illum emerint, qui regnant iam cum Chriſto, & in pace poſsident, quod in certamine ſunt adepti, ſocij olim paſsionum Chriſti, nunc conſolationis compotes; denique cogita quis Sanctorum non ſit aduerſa perpeſſus, quis eductus ſit in refrigerium Paradiſi, niſi per ignem prius, & per aquam patienter tranſierit?

Luc. 24.

Ho. Nullus certè, ſed oportuit illos omnes, & nos quoque

que per multas tribulationes introire in Regnum Dei.

Ang. Si ſub nomine Ciuitatis Dei, vel cæleſtis Ieruſalem. Ibi quoque non modica eſt difficultas, quia non poſſunt eſſe ciues Sanctorum, qui ſunt ciues mundi huius; & difficillimum eſt, in mundo viuere, eique affectu inhærere, & de mundo non eſſe, & Deo pariter inhærere. Mundi namque malignitas Dei benignitati opponitur, dextera mundi ſiniſtram Dei, & ſiniſtra mundi Dei dexteram reſpicit. Qui ſunt in dextera mundi fallaciter blandiente, in ſiniſtram Dei incidunt horribiliter punientem, qui verò ſunt ad ſiniſtram mundi crudeliter ſæuientem, ad dexteram Dei tranſeunt dulciter conſolantem. Ephes. 2.

Ho. Nullus vbique poteſt felici ludere dextera.

Ang. Si ipſa æterna Sanctorum felicitas ſub theſauri abſconditi ſimilitudine præſignetur hic adiungitur non potuiſſe obtineri ab eo, qui inuenerit, niſi venditis omnibus, quæ habebat. Si eadem ſub margaritæ prætioſæ nomine proponatur, ibi perſpicies pro ea comparanda, emptorem omnia bona ſua diſtrahere debuiſſe, vt eam emere poſſet. Si tibi eadem ſub nomine denarij ſignificata recurrit. Hic non niſi diligenter, & aſsiduè in vinea laborantibus datus eſt. Si ſub nomine cœnæ magnæ eam præfiguratam cernis, ibi quoque euidenter apparet ea cœna dignos habitos non fuiſſe, qui erant rebus temporalibus addicti, earumque negotijs implicati. Matth. 13. Matth. 2. Luc. 14.

Si ea gaudium Domini appelletur; ad illud hos tantummodo admiſſos eſſe videbis, qui ſollicitudine, & labore talenta ſibi tradita multiplicanda curarunt. Si ipſam ſimilem Scriptura facit nuptijs à Rege, vnico, ac dilecto filio celebratis; ab his excluſi ſunt omnes, qui ſomno dediti, & inertiæ in operibus bonis, & in expectatione cæleſtis ſponſi non aſsiduè, & ſtrenuè vigilarunt. Si ad illam ſub nomine brauij homines aſpirare iubentur, ſtatim additur conditio, vt ſoli illi apprehendant, qui velociter, & perſeueranter labore, & ſudore in ſtadio currunt. Si denique præmium illud titulo nobilitatur coronæ. Hi coronari tantummodo meruerunt, qui legitimè decertantes, aduerſarium deiecerunt. Itaque quocunque te vertas, & ſub quouis nomine cæleſtem gloriam Scriptura tibi conſiderandam proponat, inuenies obtineri non poſſe, niſi totis viribus, animi, & corporis contentione deſudes. Matth. 25. Matth. 25. 1. Cor. 9. 2. Tim. 2.

Ho. Angele, vix nunc teneo lachrymas; vera ſunt iſta, & tamen

Supernæ felicitatis acquiſitio, vel iactura à fidelibus paruipenditur.

men minus quod curant homines, eſt ſupernæ huius felicitatis acquiſitio, vel iactura. Hinc rurſum vehementer ſtupeo, quomodo Sancti, qui ob eximiam gratiæ ſanctitatem, & fulcimentum virtutum, dæmonum tentamenta, laqueos, & inſidias, minus timere debebant, adeò nihilominus formidabant, vt ſemper pauidi, ſemperque trementes vitam ducerent, & quaſi inter laqueos penè ineuitabiles ambulantes, veluti ſi paſsim ab eis capiendi eſſent, ſic pedetentim ſuæ peregrinationis curſum peragebant. Nos verò miſeri, qui acutiſsimis diaboli telis expoſiti, & propemodũ nudi, viribus exhauſtis, ad reſiſtendum debiles, ad ſuccumbendum faciles timere ſummopere deberemus, minus tamen timemus. Sancti, tantis ad pergendum periculis tremefacti, quandoque quo ſe verterent, neſciebant, & nos tutum putamus iter, quo tendimus? Communis vox Sanctorum velut inter elatas procelloſi equoris vndas naufragari timentium hæc erat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Alium audio ſic præ timore clamantem. Heu mihi, quia vndique mihi bella video, vndique tela volant, vndique tentamenta, vndique pericula, quocunque me vertam, nulla ſecuritas eſt; Alium tanti timoris rationem reddentem: Quia laqueos poſuit in diuitijs, laqueos poſuit in paupertate laqueos tetẽdit in cibo, in potu, in sõno, in vigilia, laqueos poſuit in verbo, in opere, & in omni vita noſtra: Et aliũ. Sex millia annorũ iã fermè cõplentur ex quo hominẽ diabolus impugnat, ideò omnia genera tẽtãdi, & oẽs artes, & inſidias deijciẽdi vſu ipſo vetuſtatis edidicit: Sic timebant Sancti, & ego contra, ſic comedo, bibo, & dormio, quaſi iam tranſierim diem mortis, & euaſerim diem iudicij, & tormenta inferi; ſic ludo, & rideo, quaſi iam regnem cum Chriſto in regno ſuo.

Rom. 7.

Quàm timebãt Sancti ſalutem amittere, & damnari.

Ang. Hæc eſt ars artium ſatanæ, vt hi, qui in ſuam redigit poteſtatem, & captiuos detinet, nullatenus credant ſe à dæmone poſsideri, neque illius eſſe mancipia, quin imo tantum abeſt, vt hæc ſibi vera eſſe ſuadeant, vt etiam Concionatores hæc aſſerentes irrideant, machinamenta diaboli ab eis detecta inter fabulas computantes.

Nota, quæ ſit ars artium ſatanæ.

Ho. O verè ars artium, & ſcientia ſcientiarum diaboli, perſequitur me hoſtis, cui nomina mille, & mille nocendi modi, & ego victorem me putabo dum capior? In medio laqueorũ ambulo, & eumqui me de his tam fideliter admonet, irridebo? O vita Aulicorum perdita, hi præſertim ſunt, qui verba De deſpi-

deſpiciunt, Concionatores ſpernunt, & concionem quaſi carmen muſicum audiunt,& in canticum oris ſui vertunt illam.

Angele,ſi licet, dicam,alternatim in hac vinea Chriſtum, & ſatanam vindemiare; vindemiabat olim Chriſtus, & ſatan racemos colligebat; Vindemiat nunc ſatan, & racemos colligit Chriſtus,ſicut ipſe conqueritur per Prophetam: *Væ mihi,quia factus ſum, ſicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ*. Mich.7.
Tunc aliquos perire, magna æſtimabatur iactura; nunc ſaluari aliquos lucrum ingens reputatur; Propter hoc maiorem Chriſtianorum partem perire,vehementer ſuſpicor.

Ang. Si plures ſunt inter Chriſtianos, qui damnantur, nec ne,taceo; hoc tamen indubitatum tene, maiorem Chriſtianorum perditionem nunquam fuiſſe, quàm hodie. Et hæc de ſtatu Eccleſiæ militantis dixiſſe ſufficiant.

Ho. Adhuc ſupereſt pro mei deſiderij complemento, aliqua nos conferre de ſtatu Eccleſiæ triumphantis.

Finis Tertiæ Vigiliæ.

DE

DE STATV ECCLESIAE TRIVMPHANTIS.

VIGILIA QVARTA.

MVNDVS IGNIS INCENDIO expurgatus, quanta, & quàm multiplici pulchritudine decorandus.

CAPVT PRIMVM.

Ang. PAX tibi, viator, peregrinis ad patriam tendentibus, tàm optabilis, quàm neceſſaria, quam inops pacis terra ſuis incolis dare nequit; futurus aliquando illius pacis comprehenſor, quæ exuperat omnem ſenſum, cuius deſiderio flagras, pro qua ſalutari Chriſti militiæ nomen dediſti, fidem ſpopondiſti, certamen inijſti, & pugnare non deſinis.

Hō. De hac pace, eiuſq. imperturbata in æternum requie, iuxta Angelicum extera nocte promiſſum, te cariſſime, ſermonem habiturum expecto, vt deſiderium, quod ſæpè in corde meo tepeſcit, feruentiùs accendatur, initumque pro pace certamen, animoſiùs proſequar, & vires ad pugnandum exeram fortiores. Præmia certamen mouent, & quantò maiora præmia, tantò fortiore mouent ad certandum impetu: præmium initi pro pace certaminis, pacem eſſe, Chriſti milites non ignorant, & ideo quandoque fortiter pugnant; ſed ſi tota, quantum fas eſt, huius præmij magnitudo innoteſceret dimicantibus, ad mortem vſque fortiſſimè dimicarent, ſicut inuicti quon-

Præmiũ initi pro pace certaminis, pax.

dam

Digitized by Google

dam Martyres ſe geſſerunt, quos indubitata inuiſibilium fides fecit huius præmij nedum magnitudinem intelligere, ſed etiam dulcedinem deguſtare. Quod ergo meæ fidei ſeruore, ac deuotione non aſſequor, Angelica, & præſertim ignita aſſequar eloquentia.

Ang. Vt aliqua de ſtatu Eccleſiæ triumphantis poſt vniuerſalem totius orbis innouationem futuro, breuiter diſſeramus, ab ipſa mundi purgatione incipiamus oportet. En uerò mundum in obſequium hominis conditum, ipſo tunc homine per gloriam innouato, innouari, nouaq. pulchritudine decorari, diuinam condecet bonitatem hominis amantiſsimam ad oblectandum, corporeo quoque viſu, hominem iam beatum.

Igitur, ante extremum tremendi iudicij diem, ignotum omnibus, ſed vicinum, vniuerſale ignis diluuium, quemadmodum olim aquæ, inexpectatum ſuperueniet orbi. Cogita itaque ſi tunc viues, hiſce oculis te viſurum igneum fluuium ab ortu ſolis vſque ad occaſum emanantem, & velut ſeuiens fluctibus mare, & montes, ac valles deuorantem, terramq; omnem, & quæcunque ſunt in illa exurentem.

Incendium ignis diluuiū imitabitur in aſcenſu.

Tunc ignis vbique vorax, ruptis regnabit habenis; tantumq; aſcendet incendium ignis, quantùm aquæ diluuij, ideſt, quindenis cubitis ſuper montium cacumina.

Ho. Num viua hominum corpora ignis ille comburet, mox rediuiua futura?

Ang. Comburet certè ſupra montiũ cacumina aſcenſurus.

Incendio illo viua tunc hominum corpora in cineres redigentur.

Ho. Et ego exuſtus, exuſtionis ruinas, vt modo dicebas, hiſce oculis cernam? Sed eſto hoc certum ſit, accepta parte pro toto, & ruinarum initijs pro totis, conſummatiſq; ruinis. Si cuncta hominum tunc viuentium corpora, immenſo illius ignis incendio, in cineres redigentur, quomodo verum erit, quod Apoſtolus aſſerit, iuxta erudita quorundam interpretum commentaria, ſanctos videlicet illa die ſuperſtites, mortem minimè obituros, ſed ſubuectos nubibus, obuiam Chriſto ituros? ita tamen, quòd inglorium, & corruptiuum, & mortale, gloria, incorruptione, & immortalitate mutetur, vt qualia corpora mortuorum ſurectura ſunt, in talem ſubſtantiam etiam viuorum corpora transformentur, grauiſsima mortis neceſsitate calcata.

Ang. Si interpretes ex doctrina Pauli intellexerint, ſanctos, qui rapient viuentes, in raptu de mortalibus corporibus exituros,

ros,& ad eadem mox corpora immortalia reditoros,nullas in verbis Apoſtoli patientur anguſtias. Itaque ſancti adhuc viui illa die reperti, de vita iſta in mortem, & de mortein æternam vitam, celerrima commutatione, tanquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient, ſed non effugient; *quis eſt* enim *homo, qui viuit, & non videat mortem*, cum *ſtatutum ſit hominibus ſemel mori*? At non ſic dulciter,& celeriter morientur, qui aliqua adhuc peccatorum purgatione egebunt, ſed per fluuium igneum,& vada feruentibus globis horrenda tranſibunt, quanta fuerit peccati macula, tanta,& pertranſeundi mora; Quantum exegerit culpa, tantùm ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina. Hoc incendio, tot hominum, ac Dæmonum flagitijs, velut irregularitatibus violatus, tot ſcelerum fœtoribus, ſordibusq; pollutus expurgabitur mundus; & ipſa quoque elementa phiſica, tam multiplici commixtionis impuritate affecta.

Heb. 9. Pſ. 88.

Aliter ſanctos, aliter purgatione egentes ignis ille comburet.

Ho. Num cælos quoque ignis purgabit incendium? & ſi etiam cælos, iuxta illud: *Cæli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent*; Num cælos expurgabit æthereos?

Cap. 3.

Ang. Ignis ille non æthereos ſublunarium impreſſionum, vel affectionum incapaces omnino, ſed cælos tantùm expurgabit aereos, hoc eſt, inania hæc, & nebuloſa ventoſi aeris ſpacia, dæmonum domicilia.

Ignis cælos expurgabit aéreos, non æthereos.

Sic, itaque expurgatus mūdus,multùm ſuper omnē modū,& vltra quàm dici poteſt, formoſior apparebit, Deiq; longè maiorem, clarioremq; notitiam, quàm antea,ſe intuentibus ingeret. Si enim mundus nondum expurgatus, nondum innouatus, tanta nihilominus ſpecioſitate afficitur, vt *ex magnitudine ſpeciei, & creatura cognoſcibiliter poſſit Creator horum videri*; poſt innouationem, poſt tantam ſuperadditam pulchritudinem,quàm cognoſcibiliter, quàm conſpicuè ſummus Artifex in ſuo conſpicietur opere? Tunc elementa omnia inſolitam claritatis gloriam induent: & primùm,terra tota in placidiſsimam quandam redacta planitiem,nitida vt vitrum ſpectātibus ſe obijciet; aqua vt cryſtallus, aer his nitidior, & purior, vt cælum; ignis vndequaque ſplendidiſsimus, cæli luminaria æmulabitur; cælum ſydereum gloria veſtietur; luna, & aſtra ſolis claritate amicientur; ſol ſepties pluſquam nunc, ſplendore fulgebit. Et cæli, cum non in aliud moueantur officium, quàm vt humano generi propagando, alendoq; deſeruiant, expleto ſui muneris

Mundus expurgatus, ac noua pulchritudine decoratus in maiorem,quàm antea, notitiam ducet conditoris.

Sap. 13.

Claritas, & pulchritudo ſublunarium, & cæleſtium corporum, gradatim maior.

penſo,

penſo, à ſuo tunc circulari quieſcent motu, quieſcent luminaria, in eodem puncto, quo ſuorum motuum ſumpſere primordia. Sol ſiſtet in Oriente, Luna in Occidente, quorum luce cuncta vbique rimante, & orbibus quieſcentibus, nulla erit diei, ac noctis viciſitudo, nec viciſitudinis obumbratio, nec tempus erit amplius, ſed ſimplex quædam ſine inueteratione, ac innouatione duratio, dieſq; perpetua. Nulla quoque inter elementa erit qualitatum pugna, quia nec vnius in aliud tranſmutatio. Ceſſabit ille tam multiplex cæleſtium ſpherarũ in hæc inferiora influxus, nec mundus iſte inferior ſuperioribus lationibus gubernari, ac regi, neceſſe habebit, ſola tunc Dei ſe conſeruantis manutenentia indigens.

Quieſcent orbes, & lumina ria in eodem puncto ſiſtent, quo mouari cœperunt.

Ho. Cælos, & elementa doces noua pulchritudine decorãda, ſed Sacræ litteræ, corpora tam cæleſtia, quàm ſublunaria in alia noua, ac præſtantiora fore eſſentialiter tranſmutanda, ſatis clarè, & apertè indicare videntur. Vt eſt illud. *Vidi Cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abÿt.* Et. *Ecce ego creo cælos, & terram nouam.* Et. *Cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum attereſur.* Vel aliter iuxta alios. *Cæli comminuentur in nihil, & in ſalis modum conterentur.*

Apoc. 21. Eſai. 65. & 51

Sic vertunt Simmachus, & Aquila.

Ang. Hæc, & ſi qua alia ſacrarum ſcripturarum teſtimonia adduci poſſunt, nedum quicquam contra prædicta teſtantur, verum etiam, ſic eis quàm maximè ſuffragantur, ac ſi pro illis allegata eſſent. Perditio namque cælorum in ſcripturis non interitum ſonat, ſed mutationem in melius indicat. Nouos cælos, & nouam terram iuxta Ioannis prophetiam videbis non alios cælos, & aliam terrã, ſed veteres, & antiquos in melius commutatos. Scripturæ itaque accidentia pro illo ſtatu impertinentia docent peritura, non ſubſtantiam tranſituram. Cæterùm, ipſa eadem elementa, ipſi ijdem cæli inconcuſſa in æternum ſtabilitate manebunt, veteribuſq. abiectis exuuijs, nobiliora, atque illuſtriora pro ſui ſtatu decentia, indumenta ſuſcipient, vt ſic, eiuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ, alterius claritatis, glorioſa beatorum corpora imitentur.

Eadem elementa, ijdem cæli manebũt. accidentia vero pro illo ſtatu impertinentia peribunt.

Ho. Igitur, terra, quæ à ſuę fundationis primordijs, virentibus herbis, floribus, virgultis, arboribus cõueſtita apparuit, poſt innouationem non eiſdem amplius decorabitur ornamentis?

Ang. Non eiſdem, ſed alijs pulchrioribus decorata conſiſtet. Etenim nouum tranſparentię, ac ſplendoris ſuperindu-

ctum accidens, commixtionis depuratio, & ipſa, qua tunc prędita fuerit, incorruptio, facultatem ab ea auferent, quicquam vlterius producendi.

Anſelmus in elucid.

Ho. Ego memini me legiſſe, terram illam, quę in gremio ſuo corpus Domini conſouit, totam velut Paradiſum Domini euaſuram, & quę ſanctorum ſangine eſt irrigata, odoriferis floribus, lilijs, roſis, violis, immarceſcibiliter fore perpetuò decorandam. His ego adderem, etiam loca, vbi templa dicata Deo fuere, corpuſq; dominicum aſſeruatum, eadem fore pulchritudine honeſtanda.

Quam prerogatiuam habituræ ſint quædã terræ partes, Martyrũ ſanguine irrorata.

Ang. Figurata loquutio. Qui aliquam his locis prærogatiuam piè exiſtimant conferendam, hanc potius peculiarem quendam ſplendorem, quo illę terrarum partes ęternaliter inſignitę manebunt, quàm flores, aut virentia ſemper gramina, arbitrari rationabilius poſſent. Quemadmodum vulnerum cicatrices in corporibus Martyrum, velut fixa in cęlo ſydera, ampliore, ac denſiore luce fulgebunt. Quòd ſi etiam Deus virentium graminum, herbarum, florum, atque venuſtarum arborum, terram perpetua vellet amęnitate vigere, Dominus eſt, eiq; impoſsibile nihil.

Ho. Itaque terram in ſuis quibuſdam finibus *fulgentiore* luce micantem, vt cęlum *ſplendeſcens, paſsim ſyderibus decoratum*, contemplari *licebit?*

Ang. Licebit contemplari, & quandoque videre. *Sic terra* tanto amicta decore, nullo vnquam corruptibilis animantis deinceps temeranda veſtigio, corruptionis expers, immota perſiſtet, tantaq; erit ambientis aëris quies, vt etiam in tenui *impreſsi puluere caracteres indelebiles permanerent*. Nec incongrua futura hęc *rerum inſenſibilium quies*, imò valdè *Beatorum* ſtatui *conſentanea*. *Conſentaneum enim eſt, vt ad ſummam* illam, perpetuamq; cęleſtium incolarum requiem, rerum omnium tranquilla vbique immobilitate ſiſtentium quies reſpondeat ſempiterna; ſolam inferorum turbulentiſsimam excipe regionem, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Ho. O gaudium, ò læta nimirùm ſpes, nec r[illegible] ſan ab optata expectatione longinqua. Si tam [illegible] rior prima hęc de futura hominum felicitate r[illegible] lico ore deprompta, quid erunt vltima, e[illegible]

MIRA, ET SOLI DEO POSSIBILIS RESVRRECTIO, Electis ingens gaudium allatura.

CAPVT SECVNDVM.

Ang. EXpleto ignis incendio, ignis conſumptis pabulis, cunctis deletis corporibus, elementiſq. purgatis, *in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba*, mortuorum omnium continget reſurectio, citiſſimè quidem, & niſi diſperſi humanorum corporum cineres miniſterio eſſent Angelico colligendi (quoniam Dei potentia, tempore ad operandum non indiget rediuiui) in inſtanti cuncti prodirent homines. Opus ſanè mirabile, omniumq. mirabilium maximum, naturam, & quamlibet creatam facultatem omnifariam ſuperans, ſoliq. Deo poſſibile. Animam namq. ſemel à carne diſiunctam, ſemel à corpore exulantem, ad ſuum iterum, in quo condita fuerat, domicilium regredi, iterum corpori ſociari, & vnà cum corpore reuiuiſcere, atq; eundem hominem ſurgere, qui ceciderat, naturæ viribus eſt penitùs impoſsibile. Idcirco Philoſophis ferè cunctis, fidei lumine deſtitutis, nuda naturarum principia ſpeculantibus, quæ, & quantæ earum vires eſſent, perquirentibus, regreſſus iſte ſēper viſus eſt impoſsibilis; & ſi quos fortè audirent, poſſibilē opinantes, vel etiam de facto aliquando futurū aſſerentes, irriſione pluſquam dignos cenſebant: vt Paulo contigit, de reſurectione coràm Athenienſibus diſſerenti, quem non vera prædicantem, ſed noua potius dæmonia nunciantem putauerunt, nilq. ſtultius dici poſſe arbitrantes ipſum irridebant.

1. Cor. 15.

Mortuorum reſurrectio ſoli Deo poſſibilis.

Ho. Facilè regreſſum hunc illi Phil[illegible] concesſiſſent, qui neſcio quem circulum magni ſæcu[illegible] gentes [illegible] quod certis annorum periodis ca[illegible] es ad ead[illegible] cipia recurrentes eoſdem prorſ[illegible] eiſdem cauſis iidem vbio[illegible]

Ang. Fabuloſa ſunt[illegible] greſſum h[illegible] non a[illegible] ſte[illegible]

populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. Itaque diuina tantùm virtute, in eodem corpore, quod per mortem cecidit, licet exeſum vermibus, in putredinem verſum, in cineremq; redactum, idem homo reſurget. Nec enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, ſed in quemlibet puluerem, cineremq; ſoluatur, in quoslibet halitus, oraſque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemq. mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs, vt homo fieret, creſceret, viueret; animauit. Abſit, vt ſinus vllus, ſecretumq; naturę ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus veſtris, vt omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem. Quinimo, & ſi omnibus periſſet modis caro humana, vt nec vlla eius materies in nullis naturæ latebris remanſiſſet, vnde vellet, eam repararet omnipotens. Itaque Angelico (vti diximus) miniſterio, cineribus, vbi maior humani corporis pars extiterit, congregatis, & ſuis cuique corpori membris cunctis, organis, humoribus, & alijs quibuſcunque ad naturæ perfectionem attinentibus, ab eo, qui prius præſtitit, reſtitutis, eadem Anima in idem corpus diuina virtute regreſſa, idem redibit homo. Qui, ſi de numero fuerit electorum, ſeipſum nimium admiratus, ſe ſuſpiciens, ſeq. palpans, vix præ gaudio ſe eundem credet eſſe, qui eſt: & ſe ipſum alloquens, ſic dulciter ſubclamabit: Ego nè ille ſum, qui olim vixi? hæc nè illa caro? hæc illa membra? hoc idem corpus, quod per tot annorum centurias, in puluerem collapſum, in humorem ſolutum, in auram exhalatum, nunc in integrùm reſtitutum, mihiq. redditum refloruiſſe aſpicio? O' cara, diùque expectata noui veris tempeſtas, aduenisti tandem, in qua mortalium caro inſtar fœni exiccata refloruit.

Dei omnipotentia in reparando idem num. corpus.

Reſurgens homo, vix præ gaudio credet ſeipſum eſſe, qui olim fuit.

O' nunquam Saluatoris mei defatigatus amor, qui talem vitam mihi ſua morte promeruit. Anima mea, quàm primùm vocem dilecti ſe vocantis audiuit, ſurge, propera amica mea, & veni, venit ſine mora, & mihi meipſum reddidit, vt de corruptione ſurgerem incorruptus. Reſurrexi tandem, & vocem illam dulciſsimam auditurus venio. Venite benedicti Patris mei. Ecce noui veris aduentu; hyems, quo rationales aruere arbores, iam tranſiuit; hyemalis tentationum imber abijt, longeq. receſsit, nunquam deinceps reuerſurus; at ipſa arbores, quæ

Reſurgens electus, ſeipſum dulciter alloquens, in hæc verba prorũpit.

quæ olim hyemis frigore, vitali humore conſumpto, perierunt, ecce in placidiſsima veris tempeſtate rediuiuæ apparuerunt, frondibus, floribuſq. pulcherrimæ. Tunc crucem, quæ in media aeris regione ſole ſplendidior apparebit, deuotè aſpiciens, alloquetur. Salue crux, tot prætioſarum, venuſtarumq. arborum regeneratrix veneranda; Tu ſterilis quondam arbor, Chriſti ſanguine fœcundata has innumerabiles penè arbores foliorum viriditate amænas, florum pulchritudine decoratas, fructuum vbertate prædiuites, feliciter produxiſti.

Crucem deuotè aſpiciens. electus ſic alloquetur.

Ho. O quæ audio? ex hoc auditu, quid intus ſentio, explicare non valeo; quis mihi det, & vt ego talis inueniar, dignus, qui talia proferam, in ſuprema reſurectionis die? quis modò, modis omnibus excruciari nolit, tantæ felicitatis compos aliquando futurus? Quis, inquam, libenter nolit, corruptibilem hanc arborem, ſua nihilominus conditione caſuram, ſi opus ſit pro Chriſto euelli, comminui, igneq. comburi?

Et nunc cariſsime, liceat mihi, quædam de hac materia non ſatis comperta, nec ſatis clara, tibi elucidanda proponere. Mutila, & deformia reproborum corpora, num quemadmodum electorum, integra, & ſine deformitate reſurgent?

Num mutila reproborum corpora integra reſurgãt? dubium primum.

Ang. Integra quidem ſurgent, fœda verò, & deformia nec ne, inquirere, quid oportet? Neque enim fatigare te debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. Attamen maxima, & ſupra quàm dici poteſt, erit eorum deformitas. Vidiſti quandoq; obſeſſum Demone corpus, quàm deforme reddatur? Sic deſperatę reproborum animæ ad ſua iterum corpora redeuntes, conſimili, ſed longè maiore eos deformitate afficient.

Ho. Diſtinctanè vtriuſq. ſexus ibi erit ſigillatio? Videtur namque ſuperflua ſexuum ſine neceſſitate diuerſitas.

Dubium ſecundum, an futura ſit ſexus diſtinctio

Ang. Sexuum diſtinctio, non ſexuum opera ibi erunt; nec ſtatim ſuperflua videbitur membrorum reſurectio, quæ caritura ſint officio ſuo, cum adhuc in hac vita poſiti quamplures nitantur opera non implere membrorum. Itaque qui vtrumque ſexum inſtituit, vtrumque reſtituet, nuditatis pudore, illarumq. partium obſcænitate ablatis, libidine nulla prorſus ſuperſtite, Deum omnes de tam decora vtriuſque ſexus pulchritudine laudabunt. Et ipſæ fœminæ, quæ trucem tyrrannorum rabiem perpeſſæ, in ſexu fragili feliciter extitere victrices, ac [illegible]orem, quàm ſi viri fuiſſent, victis hoſtibus,

reue-

Electæ fœminæ eundem ſexum, in quo vicerunt, gaudebunt retinere.

reuexere triumphum, gaudebunt eundem ſexum, velut gloriæ ſuæ inſigne præcipuum retinere.

Ho. Num omnes in ætate pares, in ſtatura ęquales, in colore conſimiles reſurgent electi?

Dubium tertium. Qua ętate, ſtatura, & colore reſurgant electi.

Ang. Nec vltra, nec infra iuuenilem formam reſurgent corpora electorum, ſed in ea ætate, & robore, vſque ad quam Christum perueniſſe cognouimus; at licet futura ſit eadem omnium ætas, non tamen erit eadem omnium ſtatura, ſed in eo quiſque & tam magno reſurget corpore, quod erat, aut quod futurũ erat in iuuenili ætate; color autẽ non qualis cuiq; infuit à natura, vel extrinſecus proceſſu temporis aduenit, ſed qualis claritati, & pulchritudini glorioſi corporis non repugnat, electorum corpora venuſtabit. Deniq. electi tales ibi non erunt quales ſi poſſent, neque hic eſſe voluiſſent: Quare nullus notabilis magnitudinis, vel paruitatis exceſſus ibi erit, nec enim Pigmæi cum exigua corporis breuitate, nec Gigantes cum immodica illa proceritate reſurgent.

Dubium quartum. Quid ſẽtiendum de pueris non baptizatis.

Ho. Quid de pueris ſentiendum, in tranſgreſsione Adę ſine regenerationis lauacro hinc digreſſis?

Ang. Iſti nec cęleſti Regno adſcripti, nec gehennę incendijs addicti, nec cęlo incluſi, nec in orco recluſi, media quodammodo in regione conſiſtent.

Ho. Si media illa regio, quam incolent illi homines, ſtatum medium inter electos, reproboſq. tenentes, terra eſſet, qualis futura eſt in nouiſſimo, naturali, & quidem ſatis iucunda beatitudine potirentur. Et ita futurum cenſeo; etenim ſub infauſto illo, atque horribili tenebrarum ſinu, quo eorum nunc animę detinentur, fore perpetuò recludendos, credere nunquam potui. Quid enim aliud eſſet, ęterno, ac tenebroſo eos carceri mancipari, quàm grauiſsima ſenſibilum pœnarum eos pœna mulctari? & quanam ſenſibili mulctati pœna non eſſent, qui in cęcis perpetuę noctis latebris relegati, lumen cęli nunquam eſſent in tota ęternitate viſuri? & quid aliud, tetri carceris incluſione, libertate adempta; ac denſa tenebrarum caligine, naturali optatę lucis fruitione ſublata, quid aliud inquam, ad vitę ſupereſſet extinctionem, quàm vt in gelida marmora tandem verſi, vita careant, cunctis vitę commodis iam carentes?

Efficaces admodum rationes probantes pueros non fore ſubtenebras recludẽdos.

Si has illis impingimus pœnas originali labe emeritas, quid ergo ſacra Theologorum ſchola docet, ſenſibi[illegible] iuſtè non deberi peccato naturę infectione [illegible]

propria voluntate patratis?

Nec illa mihi arridet opinio aſſerentium, eos propterea ad Inferos detrudendos, quia ſi per ampla terrarum ſpacia diuagandi daretur libertas, cum eos inter ſe charitas, qua carebunt, pacis fœdere non aſtringeret, inter illos bella, contentiones, & iurgia ſemper eſſent, atque turbulentiſſimam æternaliter vitam ducerent, non inquam, his aſſentio ta'ia opinantibus; bella namque lites, & aliæ huiuſmodi animi peſtes ex mala vtique, & peccatrice concupiſcentia ortum ducunt. Iuxta Illud. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* At iſti incorruptibilia gerent corpora, vegeta quidem, ſed omnis porſus alterationis, expertia, & ſic ſpiritui ſubiecta quoad omnes inferiorum virium motus, vt nulla carnis rebellio, nulla inter vtramque ſubſtantiam pugna, nec alteratio inſurgere vnquam poſſint; At ſine iſtis certè bella excitari, & excitata exerceri non valent. His addo, eos tunc nec cibo, nec potu, nec agrorum cultura, nec veſtibus indigere, ac propterea nec terrarum ſpacia cupiet ſuo quiſque nomine nuncupari. Vnde ergo futura inter eos bella, bellorum cauſis non extantibus?, Itaque ceſſantibus præliorum cauſis, ipſa quoque bella ceſſura quis ambiget? Iacob. cap. 4

Ang. Diſcurſus optimus, & Theologo dignus, attamen in his, quæ nullum fidei præiudicium afferunt, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, ſufficiat tibi probare tua, & in ſua ſine alios opinione perſiſtere.

Ho. Adhuc vnum ſupereſt dubium de menſe (taceo de anno, quòd temerarium eſſet inquirere) de die, & hora reſurrectionis.

Ang. Licèt nec meum ſit, nec tuum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Attamen cum Chriſtus ſit perfectiſſimum futuræ reſurrectionis exemplar, eodem menſe, eademque die, & hora, qua ipſe reſurrexit, menſe ſcilicet Martij, die Paſchatis, vel dominico, hora matutina, ſummo tamen diluculo cunctos homines ſurrecturos, deuotè poteris contemplari. Vniuerſalis reſurrectio eadem hora continget, qua Chriſtus reſurrexit

EXTREMA MVNDI DIES REPROBIS INFAVSTA, electis, votis omnibus optatiſſima.

CAPVT TERTIVM.

Ho. O diem illam mihi votis omnibus optatiſſimam. Cariſſime, perge obſecro, perge vlterius, vox tua adhuc ſonet in auribus meis. Quid poſt hæc?

In iudicio decernendũ, ac definiendũ, quæ ſint vaſa iræ, & quæ miſericordiæ Roman. 9.

Ang. Hęc, prima gaudia, vel potius gaudiorum initia, poſt hæc gaudia conſũmata. Regenerata igitur humani generis maſſa, Vaſa cuncta à ſummo illo Artifice ſucceſſu temporis fabricata, multis tandem fractionibus comminuta, & ab eodẽ (vti diximus) puncto temporis in integrum reſtituta, in vallem fletus raptim confluentia, ſupremo Iudici ſe iudicanda conſtituent, vt ab illo, qui iuſtè iudicat, & non fallitur, decernatur, quænam illorum ſint vaſa iræ aptata in interitum ſempiternum, & quæ vaſa miſericordiæ præparata in gloriam. Quænam ſint vaſa aurea, & argentea cæleſtibus inferenda; & quæ lignea æternis ignibus pabula æternaliter ſuggerenda; & quæ fictilia in cumulum proiectorum damnatorumq; lapidum aggerenda, quæ in honorem apud ſuperos in aula ſummi Regis habenda, & quæ apud Inferos in contumeliam in perpetuum deputanda.

Tim. c. 2. 1.

Ho. O verè magnum, & plenum admiratione ſpectaculum, quis non obſtupeſcat, diù inter ſe confuſa irę, & miſericordię vaſorũ fragmenta ex eiſdẽ tumulis tã diſcreta prodire, ſtatũ, locũq; tã diuerſa ſortiri? Tunc verè dicetur. *Aperuit Dominus theſaurũ ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ.* Quis eſt iſte theſaurus Domini?

Ierem. c. 50.

Mirabile ſpectaculum, ex eodem ſepulchro quoſdã prodire pulcherrimos, quoſdam fœdos, & horribiles

Ego fidenter dicam, eſſe fidelium tumulos, in eis enim iræ, & miſericordiæ vaſa, ideſt, electorum, atq; reproborum corpora conquieſcunt; Tunc aperiet Dominus theſaurum ſuum, & vaſa iræ, ac miſericordiæ proferet, cum ex vno eodemq; ſepulchro videre licebit quoſdam prodire pulcherrimos, fulgentiſſimos, vt potè ipſo ſole ſ; ptempliciter quàm antea fulgente ſepties clariores, iucundiſſimos, ſumma alacritate Deo laudes decantantes; illius gloriæ quiſq; particeps iam effectus, quam beata anima ex cæleſti ſecum detulit Paradiſo. Et contra, quoſdam alios inde erũpere fœdos, horribiles, nocti ſimiles, moerore confectos, eiulãtes, deſperato clamore ſe miſerrimos proclamantes, à ſuis ſingulos quibuſq; animabus tartareo, quo illæ ardẽt, igne ſuccẽſos.

Ang. Theſaurũ Domini in die vltionis, ac retributionis aperiendũ, eccleſiam potius conuenit appellari, quæ nunc vaſa iræ cum vaſis miſericordiæ ſimul claudet, quemadmodũ & paleas cũ frumento, & piſces perdẽdos, ac proijciẽdos cũ electis piſcibus cõtinet, quã cũ Iudicij tẽpore Dñs aperuerit, exinde vaſa iræ ꝓferet, in ignẽq; ꝓijciet, vaſis hiſce inutilibus pręparatũ. Attamẽ theſaurũ Dñi ſiue Eccleſiã, ſiue ſepulchra dixeris, vtraq; ſũt die illa aperiẽda, & exinde vaſa irę, & miſericordię ꝓferẽda, cũctoſq; homines de terra cũ magno illo diſcrimine exituras, hæſitare nõ libet. Sic ad iudiciũ omnes aut vi, aut volũtate celeres properabũt. Illi Dęmonibus pulſi, tracti raptati vltra progredi cogentur inuiti. Spõte iſt̃, Angelis plaudẽtibus, agilitatis dote ſublimes, ad locum retributionis potius quam iudicij iter feliter dirigẽt.

O quale illud omnium placidiſſimũ intuentium corda amoris dulcedine rapiturum ſpectaculum erit, cernere, hinc electos in corporibus glorioſis terræ vale dicẽtes, in aera ſurſum rapi, & lucidarum nubium vehiculis confidentes, in occurſum Regis procedere; illinc Regem de ſummo empyrei vertice cum tota curia, in nubibus, ac regia maieſtate, obuiam illis deſcendere, atque in media aeris regione ſibi inuicẽ occurrentes conſiſtere.

In media aeris regione iuſti ex terra, Chriſtus, & Angeli ex cælo venientes ſibi inuicem obuiabunt

Ho. O dulciſſimum vtriuſq; comitatus occurſum, occurrentiũ animos liquefacturum; putas ne illic inueniar ego? Quis enarrare ſufficiet, quanta erit in occurſu illo mutuæ agnitionis lætitia? qualia erunt amoris ſigna? beneuolentiæ verba? quales iubili in corde latẽtis, imò foras erũpentis oſtenſiones? quis mutuus glorioſi cuiuſq; vultus intuitus? quomodo in dulces ruent amplexus, & dulcia figent oſcula, poſt diutiſſimam moram ſe tandem reuiſis? imò cognitis nũquã viſis, vt potè Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & ſingillatim cęteris. Crederem etiam occurſum illũ, lætiſſimam illam, & primam abſentium viſionem, atq; notitiam plus gaudij, & admirationis fore his allatura, qui nec in carne ſe viderant, nec nudæ eorum animæ inter ſe aliqua habuere commercia, habitaculis, ſitibuſque diſtictæ. Prima namque ardenter, diuque expectatorum abſentium viſio, prima intuitiua præſentium cognitio, primi amplexus, dulciora, & cariora nouitate contingunt.

Lætitia magna ex mutua agnitione iuſtorum

Ang. Gaudia illa ſpiritualia, nulla vnquã viciſſitudine variãda, aut proceſſu tẽporis minuẽda, lęris mundanorũ euentibus, in quibus nil diu permanẽs inuenitur, nõ benè certè metiris. Mũdana nanq; lætitia hodie feruet, cras in nihilũ euaneſcit; atq; nouis

Mundanum gaudium repente in nihilum euaneſcit

DE STATV ECCLESIAE TRIVMPHANTIS.

VIGILIA QVARTA.

MVNDVS IGNIS INCENDIO expurgatus, quanta, & quàm multiplici pulchritudine decorandus.

CAPVT PRIMVM.

Ang. PAX tibi, viator, peregrinis ad patriam tendentibus, tàm optabilis, quàm neceſſaria, quam inops pacis terra ſuis incolis dare nequit; futurus aliquando illius pacis comprehenſor, quæ exuperat omnem ſenſum, cuius deſiderio flagras, pro qua ſalutari Chriſti militiæ nomen dediſti, fidem ſpopondiſti, certamen iniiſti, & pugnare non deſinis.

Ho. De hac pace, eiuſq. imperturbata in æternum requie, iuxta Angelicum extera nocte promiſſum, te cariſſime, ſermonem habiturum expecto, vt deſiderium, quod ſæpè in corde meo tepeſcit, feruentiùs accendatur, initumque pro pace certamen, animoſiùs proſequar, & vires ad pugnandum exeram fortiores. Præmia certamen mouent, & quantò maiora præmia, tantò fortiore mouent ad certandum impetu: præmium initi pro pace certaminis, pacem eſſe, Chriſti milites non ignorant, & ideo quandoque fortiter pugnant; ſed ſi tota, quantum fas eſt, huius præmij magnitudo innoteſceret dimicantibus, ad mortem vſque fortiſſimè dimicarent, ſicut inuicti quondam

Præmiũ initi pro pace certaminis, pax.

dam Martyres ſe geſſerunt, quos indubitata inuiſibilium fides fecit huius præmij nedum magnitudinem intelligere, ſed etiam dulcedinem deguſtare. Quod ergo meæ fidei feruore, ac deuotione non aſſequor, Angelica, & præſertim ignita aſſequar eloquentia.

Ang. Vt aliqua de ſtatu Eccleſiæ triumphantis poſt vniuerſalem totius orbis innouationem futuro, breuiter diſſeramus, ab ipſa mundi purgatione incipiamus oportet. En muerò mundum in obſequium hominis conditum, ipſo tunc homine per gloriam innouato, innouari, nouaq. pulchritudine decorari, diuinam condecet bonitatem hominis amantiſsimam ad oblectandum, corporeo quoque viſu, hominem iam beatum.

Igitur, ante extremum tremendi iudicij diem, ignotum omnibus, ſed vicinum, vniuerſale ignis diluuium, quemadmodum olim aquæ, inexpectatum ſuperueniet orbi. Cogita itaque ſi tunc viues, hiſce oculis te viſurum igneum fluuium ab ortu ſolis vſque ad occaſum emanantem, & velut ſeuiens fluctibus mare, & montes, ac valles deuorantem, terramq; omnem, & quæcunque ſunt in illa exurentem.

Incendium ignis diluuiũ imitabitur in aſcenſu.

Tunc ignis vbique vorax, ruptis regnabit habenis; tantumq; aſcendet incendium ignis, quantùm aquæ diluuij, ideſt, quindenis cubitis ſuper montium cacumina.

Ho. Num viua hominum corpora ignis ille comburet, mox rediuiua futura?

Ang. Comburet certè ſupra montiũ cacumina aſcenſurus.

Incendio illo viua tunc hominum corpora in cineres redigentur.

Ho. Et ego exuſtus, exuſtionis ruinas, vt modo dicebas, hiſce oculis cernam? Sed eſto hoc certum ſit, accepta parte pro toto, & ruinarum initijs pro totis, conſummatiſq; ruinis. Si cuncta hominum tunc viuentium corpora, immenſo illius ignis incendio, in cineres redigentur, quomodo verum erit, quod Apoſtolus aſſerit, iuxta erudita quorundam interpretum commentaria, ſanctos videlicet illa die ſuperſtites, mortem minimè obituros, ſed ſubuectos nubibus, obuiam Chriſto ituros? ita tamen, quòd inglorium, & corruptiuum, & mortale, gloria, incorruptione, & immortalitate mutetur, vt qualia corpora mortuorum ſurectura ſunt, in talem ſubſtantiam etiam viuorum corpora transformentur, grauiſsima mortis neceſsitate calcata.

Ang. Si interpretes ex doctrina Pauli intellexerint, ſanctos, qui rapient viuentes, in raptu de mortalibus corporibus exitu-

ros,& ad eadem mox corpora immortalia reditoros, nullas in verbis Apoſtoli patientur anguſtias. Itaque ſancti adhuc viui illa die reperti, de vita iſta in mortem, & de mortein æternam vitam, celerrima commutatione, tanquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient, ſed non effugient; *quis eſt* enim *homo, qui viuit, & non videat mortem*, cum *ſtatutum ſit hominibus ſemel mori*? At non ſic dulciter,& celeriter morientur, qui aliqua adhuc peccatorum purgatione egebunt, ſed per fluuium igneum,& vada feruentibus globis horrenda tranſibunt, quanta fuerit peccati macula, tanta & pertranſeundi mora; Quantum exegerit culpa, tantùm ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina. Hoc incendio, tot hominum, ac Dæmonum flagitijs, velut irregularitatibus violatus, tot ſcelerum fœtoribus, ſordibusq; pollutus expurgabitur mundus; & ipſa quoque elementa phiſica, tam multiplici commixtionis impuritate affecta.

> Heb 9. Pſ 88.
>
> Aliter ſanctos, aliter purgatione egentes ignis ille combureret.

Ho. Num cælos quoque ignis purgabit incendium? & ſi etiam cælos, iuxta illud: *Cæli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent*; Num cælos expurgabit æthereos?

> Cap 5.

Ang. Ignis ille non æthereos ſublunarium impreſſionum, vel affectionum incapaces omnino, ſed cælos tantùm expurgabit aereos, hoc eſt, inania hæc, & nebuloſa ventoſi aeris ſpacia, dæmonum domicilia.

> Ignis cælos expurgabit aëreos, non æthereos.

Sic, itaque expurgatus mũdus, multùm ſuper omnẽ modũ,& vltra quàm dici poteſt, formoſior apparebit, Deiq; longè maiorem, clarioremq; notitiam, quàm antea, ſe intuentibus ingeret. Si enim muudus nondum expurgatus, nondum innouatus, tanta nihilominus ſpecioſitate afficitur, vt *ex magnitudine ſpeciei, & creatura cognoſcibiliter poſsit Creator horum videri*; poſt innouationem, poſt tantam ſuperadditam pulchritudinem, quàm cognoſcibiliter, quàm conſpicuè ſummus Artifex in ſuo conſpicicietur opere? Tunc elementa omnia inſolitam claritatis gloriam induent: & primùm, terra tota in placidiſsimam quandam redacta planitiem, nitida vt vitrum ſpectatibus ſe obijciet; aqua vt cryſtallus, aer his nitidior, & purior, vt cælum; ignis vndequaque ſplendidiſsimus, cæli luminaria æmulabitur; cælum ſydereum gloria veſtietur; luna, & aſtra ſolis claritate amicientur; ſol ſepties pluſquam nunc, ſplendore fulgebit. Et cæli, cum non in aliud moueantur officium, quàm vt humano generi propagando, alendoq; deſeruiant, expleto ſui muneris penſo,

> Mundus expurgatus, ac noua pulchritudine decoratus in maiorem, quàm antea, notitiam ducet conditoris.
>
> Sap. 13.
>
> Claritas, & pulchritudo ſublunarium, & cæleſtium corporum, gradatim maior.

penſo, à ſuo tunc circulari quieſcent motu, quieſcent luminaria, in eodem puncto, quo ſuorum motuum ſumpſere primordia. Sol ſiſtet in Oriente, Luna in Occidente, quorum luce cunctã vbique rimante, & orbibus quieſcentibus, nulla erit diei, ac noctis viciſitudo, nec viciſitudinis obumbratio, nec tempus erit amplius, ſed ſimplex quædam ſine inueteratione, ac innouatione duratio, dieſq; perpetua. Nulla quoque inter elementa erit qualitatum pugna, quia nec vnius in aliud tranſmutatio. Ceſſabit ille tam multiplex cæleſtium ſpherarũ in hæc inferiora influxus, nec mundus iſte inferior ſuperioribus lationibus gubernari, ac regi, neceſſe habebit, ſola tunc Dei ſe conſeruantis manutenentia indigens. Quieſcent orbes, & lumina ria in eodem puncti ſiſtent, quo moueri cæperunt.

Ho. Cælos, & elementa doces noua pulchritudine decorãda, ſed Sacræ litteræ, corpora tam cæleſtia, quàm ſublunaria in alia noua, ác præſtantiora fore eſſentialiter tranſmutanda, ſatis clarè, & apertè indicare videntur. Vt eſt illud. ***Vidi Cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abÿt.*** Et. ***Ecce ego creo cælos, & terram nouam.*** Et. ***Cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.*** Vel aliter iuxta alios. ***Cæli comminuentur in nihil, & in ſalis modum conterentur.*** Apoc. 21. Eſai. 65. & 51. Sic vertunt Simmachus, & Aquila.

Ang. Hæc, & ſi qua alia ſacrarum ſcripturarum teſtimonia adduci poſſunt, nedum quicquam contra prædictã teſtantur, verum etiam, ſic eis quàm maximè ſuffragantur, ac ſi pro illis allegata eſſent. Perditio namque cælorum in ſcripturis non interitum ſonat, ſed mutationem in melius indicat. Nouos cælos, & nouam terram iuxta Ioannis prophetiam videbis non alios cælos, & aliam terrã, ſed veteres, & antiquos in melius commutatos. Scripturæ itaque accidentia pro illo ſtatu impertinentia docent peritura, non ſubſtantiam tranſituram. Cæterùm, ipſa eadem elementa, ipſi ijdem cæli inconcuſſa in æternum ſtabilitate manebunt, veteribuſq. abiectis exuuijs, nobiliora, atque illuſtriora pro ſui ſtatu decentia, indumenta ſuſcipient, vt ſic, eiuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ, alterius claritatis, glorioſa beatorum corpora imitentur. Eadem elementa, ijdem cæli manebũt, accidentia vero pro illo ſtatu impertinentia peribunt.

Ho. Igitur, terra, quæ à ſuę fundationis primordijs, virentibus herbis, floribus, virgultis, arboribus cõueſtita apparuit, poſt innouationem non eiſdem amplius decorabitur ornamentis?

Ang. Non eiſdem, ſed alijs pulchrioribus decorata conſiſtet. Etenim nouum tranſparentię, ac ſplendoris ſuperindu-

ctum accidens, commixtionis depuratio, & ipſa, qua tunc prę-dita fuerit, incorruptio, facultatem ab ea auferent, quicquam vlterius producendi.

Anſelmus in elucid. *Ho.* Ego memini me legiſſe, terram illam, quę in gremio ſuo corpus Domini confouit, totam velut Paradiſum Domini euaſuram, & quę ſanctorum ſangine eſt irrigata, odoriferis floribus, lilijs, roſis, violis, immarceſcibiliter fore perpetuò decorandam. His ego adderem, etiam loca, vbi templa dicata Deo fuere, corpuſq; dominicum aſſeruatum, eadem fore pulchritudine honeſtanda.

Quam prærogatiuam haud turæ ſint quædā terræ partes, Martyrū ſanguine irrorata. *Ang.* Figurata loquutio. Qui aliquam his locis pręrogatiuam piè exiſtimant conferendam, hanc potius peculiarem quendam ſplendorem, quo illę terrarum partes ęternaliter inſignitę manebunt, quàm flores, aut virentia ſemper gramina, arbitrari rationabilius poſſent. Quemadmodum vulnerum cicatrices in corporibus Martyrum, velut fixa in cęlo ſydera, ampliore, ac denſiore luce fulgebunt. Quòd ſi etiam Deus virentium graminum, herbarum, florum, atque venuſtarum arborum, terram perpetua vellet amęnitate vigere, Dominus eſt, eiq; impoſsibile nihil.

Ho. Itaque terram in ſuis quibuſdam finibus fulgentiore luce micantem, vt cęlum ſplendeſcens, paſsim ſyderibus decoratum, contemplari licebit?

Ang. Licebit contemplari, & quandoque videre. Sic terra tanto amicta decore, nullo vnquam corruptibilis animantis deinceps temeranda veſtigio, corruptionis expers, immota perſiſtet, tantaq; erit ambientis aëris quies, vt etiam in tenui impreſsi puluere caracteres indelebiles permanerent. Nec incongrua futura hęc rerum inſenſibilium quies, imò valdè Beatorum ſtatui conſentanea. Conſentaneum enim eſt, vt ad ſummam illam, perpetuamq; cęleſtium incolarum requiem, rerum omnium tranquilla vbique immobilitate ſiſtentium quies reſpondeat ſempiterna; ſolam inferorum turbulentiſsimam excipe regionem, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Ho. O gaudium, ò læta nimirùm ſpes, nec multùm forſan ab optata expectatione longinqua. Si tam iucunda experior prima hęc de futura hominum felicitate pręnuncia, Angelico ore deprompta, quid erunt vltima, et ſuprema?

MIRA, ET SOLI DEO POSSIBILIS RESVRECTIO, *Electis ingens gaudium allatura.*

CAPVT SECVNDVM.

Ang. EXpleto ignis incendio, ignis conſumptis pabulis,
cunctis deletis corporibus, elementiſq. purgatis,
in momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba, mortuorum om- 1. Cor. 15.
nium continget reſurectio, citiſsimè quidem, & niſi diſperſi hu-
manorum corporum cineres miniſterio eſſent Angelico colli-
gendi (quoniam Dei potentia, tempore ad operandum non in-
diget rediuiui) in inſtanti cuncti prodirent homines. Opus ſanè
mirabile, omniumq. mirabilium maximum, naturam, & quam- Mortuorum reſurrectio
libet creatam facultatem omnifariam ſuperans, ſoliq. Deo poſ- ſoli Deo poſ-
ſibile. Animam namq. ſemel à carne diſiunctam, ſemel à cor- ſibilis.
pore exulantem, ad ſuum iterum, in quo condita fuerat, domi-
cilium regredi, iterum corpori ſociari, & vnà cum corpore re-
uiuiſcere, atq; eundem hominem ſurgere, qui ceciderat, naturæ
viribus eſt penitùs impoſsibile. Idcirco Philoſophis ferè cun-
ctis, fidei lumine deſtitutis, nuda naturarum principia ſpeculan-
tibus, quæ, & quantæ earum vires eſſent, perquirentibus, regreſ-
ſus iſte ſēper viſus eſt impoſsibilis; & ſi quos fortè audirent, poſ-
ſibilē opinantes, vel etiam de facto aliquando futurū aſſerentes,
irriſione pluſquam dignos cenſebant: vt Paulo contigit, de reſu-
rectione coràm Athenienſibus diſſerenti, quem non vera prædi-
cantem, ſed noua potius dæmonia nunciantem putauerunt,
nilq. ſtultius dici poſſe arbitrantes ipſum irridebant.

Ho. Facilè regreſſum hunc illi Philoſophi conceſsiſſent, qui
neſcio quem circulum magni ſæculi confingentes docebant,
quod certis annorum periodis cælorum orbes ad eadem prin-
cipia recurrentes eoſdem prorſus effectus reuocabant, cum ab
eiſdem cauſis iidem vbiq. proferantur effectus.

Ang. Fabuloſa ſunt hæc, & inter fabulas computanda, Re- Aſſertum de
greſſum hunc ſoli Deo poſsibilem ipſa fatetur natura, quæ ſe circulo ma-
non agnoſcet in illo. Quapropter ipſe Deus reſurectionis te- gni ſæculi fa-
ſtem, non quemcunque, ſed ſummæ auctoritatis perſonam, ſuum buloſum, & inter fabulas computandū.
nempè filium eſſe voluit, *hic eſt*, inquiens, *filius meus dilectus,* Matth. c. 17.
ipſum audite, ſi mortuos ad vitam iterum reuocādos aſſeruerit,
etiam contradicentibus cunctis, ipſum audite, qui cùm ſit pri-
ma, & increata veritas, mentiri non poteſt. Ideoque *teſtem* Eſai. 55.
popu-

populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. Itaque diuina tantùm virtute, in eodem corpore, quod per mortem cecidit, licet exeſum vermibus, in putredinem verſum, in cineremq; redactum, idem homo reſurget. Nec enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, ſed in quemlibet puluerem, cineremq; ſoluatur, in quoslibet halitus, oraſque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemq. mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs, vt homo fieret, creſceret, viueret; animauit. Abſit, vt ſinus vllus, ſecretumq; naturę ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus veſtris, vt omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem. Quinimo, & ſi omnibus perijſſet modis caro humana, vt nec vlla eius materies in nullis naturæ latebris remanſiſſet, vnde vellet, eam repararet omnipotens. Itaque Angelico (vti diximus) miniſterio, cineribus, vbi maior humani corporis pars extiterit, congregatis, & ſuis cuique corpori membris cunctis, organis, humoribus, & alijs quibuſcunque ad naturæ perfectionem attinentibus, ab eo, qui prius præſtitit, reſtitutis, eadem Anima in idem corpus diuina virtute regreſſa, idem redibit homo. Qui, ſi de numero fuerit electorum, ſeipſum nimium admiratus, ſe ſuſpiciens, ſeq. palpans, vix præ gaudio ſe eundem credet eſſe, qui eſt: & ſe ipſum alloquens, ſic dulciter ſubclamabit: Ego nè ille ſum, qui olim vixi? hæc nè illa caro? hæc illa membra? hoc idem corpus, quod per tot annorum centurias, in puluerem collapſum, in humorem ſolutum, in auram exhalatum, nunc in integrum reſtitutum, mihiq. redditum refloruiſſe aſpicio? O' cara, diùque expectata noui veris tempeſtas, aduenisti tandem, in qua mortalium caro inſtar fœni exiccata refloruit.

Dei omnipotentia in reparando idem num. corpus.

Reſurgens homo, vix præ gaudio credet ſeipſum eſſe, qui olim fuit.

O' nunquam Saluatoris mei defatigatus amor, qui talem vitam mihi ſua morte promeruit. Anima mea, quàm primùm vocem dilecti ſe vocantis audiuit, ſurge, propera amica mea, & veni, venit ſine mora, & mihi meipſum reddidit, vt de corruptione ſurgerem incorruptus. Reſurrexi tandem, & vocem illam dulciſsimam auditurus venio. Venite benedicti Patris mei. Ecce noui veris aduentu; hyems, quo rationales aruere arbores, iam tranſiuit; hyemalis tentationum imber abijt, longeq. receſsit, nunquam deinceps reuerſurus; at ipſa arbores,

Reſurgens electus, ſeipſum dulciter alloquens, in hæc verba prorũpet.

quæ

quæ olim hyemis frigore, vitali humore conſumpto, perierunt, ecce in placidiſsima veris tempeſtate rediuiuæ apparuerunt, frondibus, floribuſq. pulcherrimæ. Tunc crucem, quæ in media aeris regione ſole ſplendidior apparebit, deuotè aſpiciens, alloquetur. Salue crux, tot prætioſarum, venuſtarumq. arborum regeneratrix veneranda; Tu ſterilis quondam arbor, Chriſti ſanguine fœcundata has innumerabiles penè arbores foliorum viriditate amænas, florum pulchritudine decoratas, fructuum vbertate prædiuites, feliciter produxiſti.

Crucem deuotè aſpiciens. electus ſic alloquetur.

Ho. O quæ audio? ex hoc auditu, quid intus ſentio, explicare non valeo; quis mihi det, & vt ego talis inueniar, dignus, qui talia proferam, in ſuprema reſurectionis die? quis modò, modis omnibus excruciari nolit, tantæ felicitatis compos aliquando futurus? Quis, inquam, libenter nolit, corruptibilem hanc arborem, ſua nihilominus conditione caſuram, ſi opus ſit pro Chriſto euelli, comminui, igneq. comburi?

Et nunc cariſsime, liceat mihi, quædam de hac materia non ſatis comperta, nec ſatis clara, tibi elucidanda proponere. Mutila, & deformia reproborum corpora, num quemadmodum electorum, integra, & ſine deformitate reſurgent?

Num mutila reproborum corpora integra reſurgãt? dubium primum.

Ang. Integra quidem ſurgent, fœda verò, & deformia. nec ne, inquirere, quid oportet? Neque enim fatigare te debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. Attamen maxima, & ſupra quàm dici poteſt, erit eorum deformitas. Vidiſti quandoq; obſeſſum Demone corpus, quàm deforme reddatur? Sic deſperatę reproborum animæ ad ſua iterum corpora redeuntes, conſimili, ſed longè maiore eos deformitate afficient.

Ho. Diſtinctanè vtriuſq. ſexus ibi erit ſigillatio? Videtur namque ſuperflua ſexuum ſine neceſſitate diuerſitas.

Dubium ſecundum; an futura ſit ſexus diſtinctio

Ang. Sexuum diſtinctio, non ſexuum opera ibi erunt; nec ſtatim ſuperflua videbitur membrorum reſurectio, quæ caritura ſint officio ſuo, cum adhuc in hac vita poſiti quamplures nitantur opera non implere membrorum. Itaque qui vtrumque ſexum inſtituit, vtrumque reſtituet, nuditatis pudore, illarumq. partium obſcænitate ablatis, libidine nulla prorſus ſuperſtite, Deum omnes de tam decora vtriuſque ſexus pulchritudine laudabunt. Et ipſæ fœminæ, quæ trucem tyrrannorum rab[illegible]ſæ, in ſexu fragili feliciter extitere victrices, ac [illegible]rem, quàm ſi viri fuiſſent, victis hoſtibus,

reue-

Electæ fœminæ eundem ſexum, in quo vicerunt, gaudebunt retinere.

reuexere triumphum, gaudebunt eundem ſexum, velut gloriæ ſuæ inſigne præcipuum retinere.

Ho. Num omnes in ætate pares, in ſtatura ęquales, in colore conſimiles reſurgent electi?

Dubium tertium. Qua ętate, ſtatura, & colore reſurgant electi.

Ang. Nec vltra, nec infra iuuenilem formam reſurgent corpora electorum, ſed in ea ætate, & robore, vſque ad quam Chriſtum perueniſſe cognouimus; at licet futura ſit eadem omnium ætas, non tamen erit eadem omnium ſtatura, ſed in eo quiſque & tam magno reſurget corpore, quod erat, aut quod futurũ erat in iuuenili ætate; color autẽ non qualis cuiq; inſuit à natura, vel extrinſecus proceſſu temporis aduenit, ſed qualis claritati, & pulchritudini glorioſi corporis non repugnat, electorum corpora venuſtabit. Deniq. electi tales ibi non erunt quales ſi poſſent, neque hic eſſe voluiſſent: Quare nullus notabilis magnitudinis, vel paruitatis exceſſus ibi erit, nec enim Pigmæi cum exigua corporis breuitate, nec Gigantes cum immodica illa proceritate reſurgent.

Dubium quartum. Quid ſẽtiendum de pueris non baptizatis.

Ho. Quid de pueris ſentiendum, in tranſgreſsione Adę ſine regenerationis lauacro hinc digreſſis?

Ang. Iſti nec cęleſti Regno adſcripti, nec gehennę incendijs addicti, nec cęlo incluſi, nec in orco recluſi, media quodammodo in regione conſiſtent.

Ho. Si media illa regio, quam incolent illi homines, ſtatum medium inter electos, reproboſq. tenentes, terra eſſet, qualis futura eſt in nouiſſimo, naturali, & quidem ſatis iucunda beatitudine potirentur. Et ita futurum cenſeo; etenim ſub infauſto illo, atque horribili tenebrarum ſinu, quo eorum nunc animę detinentur, fore perpetuò recludendos, credere nunquam potui. Quid enim aliud eſſet, ęterno, ac tenebroſo eos carceri mancipari, quàm grauiſsima ſenſibilum pœnarum eos pœna mulctari? & quanam ſenſibili mulctati pœna non eſſent, qui in cęcis perpetuę noctis latebris relegati, lumen cęli nunquam eſſent in tota ęternitate viſuri? & quid aliud, tetri carceris incluſione, libertate adempta; ac denſa tenebrarnm caligine, naturali optatę lucis fruitione ſublata, quid aliud inquam, ad vitę ſupereſſet extinctionem, quàm vt in gelida marmora tandem verſi, vita careant, cunctis vitę commodis iam carentes?

Efficaces admodum rationes probantes pueros non fore ſubtenebras recludẽdos.

Si has illis impingimus pœnas originali labe emeritas, quid ergo ſacra Theologorum ſchola docet, ſenſibi[illegible] inſtè non deberi peccato naturę infectione [illegible]

propria voluntate patratis ?

Nec illa mihi arridet opinio aſſerentium, eos propterea ad Inferos detrudendos, quia ſi per ampla terrarum ſpacia diuagandi daretur libertas, cum eos inter ſe charitas, qua carebunt, pacis fœdere non aſtringeret, inter illos bella, contentiones, & iurgia ſemper eſſent, atque turbulentiſſimam æternaliter vitam ducerent, non inquam, his aſſentio talia opinantibus; bella namque lites, & aliæ huiuſmodi animi peſtes ex mala vtique, & peccatrice concupiſcentia ortum ducunt. Iuxta Illud. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Iacob. cap. 4 At iſti incorruptibilia gerent corpora, vegeta quidem, ſed omnis porſus alterationis, expertia, & ſic ſpiritui ſubiecta quoad omnes inferiorum virium motus, vt nulla carnis rebellio, nulla inter vtramque ſubſtantiam pugna, nec alteratio inſurgere vnquam poſſint; At ſine iſtis certè bella excitari, & excitata exerceri non valent. His addo, eos tunc nec cibo, nec potu, nec agrorum cultura, nec veſtibus indigere, ac propterea nec terrarum ſpacia cupiet ſuo quiſque nomine nuncupari. Vnde ergo futura inter eos bella, bellorum cauſis non extantibus? Itaque ceſſantibus præliorum cauſis, ipſa quoque bella ceſſura quis ambiget?

Ang. Diſcurſus optimus, & Theologo dignus, attamen in his, quæ nullum fidei præiudicium afferunt, vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, ſufficiat tibi probare tua, & in ſua ſine alios opinione perſiſtere.

Ho. Adhuc vnum ſupereſt dubium de menſe (taceo de anno, quòd temerarium eſſet inquirere) de die, & hora reſurrectionis.

Ang. Licèt nec meum ſit, nec tuum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Attamen cum Chriſtus ſit perfectiſſimum futuræ reſurrectionis exemplar, eodem menſe, eademque die, & hora, qua ipſe reſurrexit, menſe ſcilicet Martij, die Paſchatis, vel dominico, hora matutina, ſummo tamen diluculo cunctos homines ſurrecturos, deuotè poteris contemplari.

Vniuerſalis reſurrectio eadem hora continget, qua Chriſtus reſurrexit

EXTREMA MVNDI DIES REPROBIS INFAVSTA, electis, votis omnibus optatiſſima.

CAPVT TERTIVM.

Ho. O diem illam mihi votis omnibus optatiſſimam. Cariſſime, perge obſecro, perge vlterius, vox tua adhuc ſonet in auribus meis. Quid poſt hæc?

In iudicio decernendū, ac definiendū, quæ ſint vaſa iræ, & quæ miſericordiæ Roman. 9.

Ang. Hęc, prima gaudia, vel potius gaudiorum initia, poſt hæc gaudia conſūmata. Regenerata igitur humani generis maſſa, Vaſa cuncta à ſummo illo Artifice ſucceſſu temporis fabricata, multis tandem fractionibus comminuta, & ab eodē (vti diximus) puncto temporis in integrum reſtituta, in vallem fletus raptim confluentia, ſupremo Iudici ſe iudicanda conſtituent, vt ab illo, qui iuſtè iudicat, & non fallitur, decernatur, quænam illorum ſint vaſa iræ aptata in interitum ſempiternum, & quæ vaſa miſericordiæ præparata in gloriam. Quænam ſint vaſa aurea, & argentea cæleſtibus inferenda; & quæ lignea æternis ignibus pabula æternaliter ſuggerenda; & quæ fictilia in cumulum proiectorum damnatorumq; lapidum aggerenda, quæ in honorem apud ſuperos in aula ſummi Regis habenda, & quæ apud Inferos in contumeliam in perpetuum deputanda.

Tim. c. 2. 2.

Ho. O verè magnum, & plenum admiratione ſpectaculum, quis non obſtupeſcat, diù inter ſe confuſa irę, & miſericordię vaſorū fragmenta ex eiſdē tumulis tā diſcreta prodire, ſtatū, locūq; tā diuerſa ſortiri? Tunc verè dicetur. *Aperuit Dominus theſaurū ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ.* Quis eſt iſte theſaurus Domini?

Ierem. c. 50.

Mirabile ſpectaculum, ex eodem ſepulchro quoſdā prodire pulcherrimos, quoſdam fœdos, & horribiles

Ego fidenter dicam, eſſe fidelium tumulos, in eis enim iræ, & miſericordiæ vaſa, ideſt, electorum, atq; reproborum corpora conquieſcunt; Tunc aperiet Dominus theſaurum ſuum, & vaſa iræ, ac miſericordiæ proferet, cum ex vno eodemq; ſepulchro videre licebit quoſdam prodire pulcherrimos, fulgentiſſimos, vt potè ipſo ſole ſepempliciter quàm antea fulgente ſepties clariores, iucundiſſimos, ſumma alacritate Deo laudes decantantes; illius gloriæ quiſq; particeps iam effectus, quam beata anima ex cæleſti ſecum detulit Paradiſo. Et contra, quoſdam alios inde erūpere fœdos, horribiles, nocti ſimiles, mœrore confectos, eiulātes deſperato clamore ſe miſerrimos proclamantes, à ſuis ſingulos quibuſq; animabus tartareo, quo illæ ardēt, igne ſuccēſos.

Ang. Theſaurũ Domini in die vltionis, ac retributionis aperiendũ, eccleſiam potius conuenit appellari, quæ nunc vaſa iræ cum vaſis miſericordiæ ſimul claudet, quemadmodũ & paleas cũ frumento, & piſces perdẽdos, ac proijciẽdos cũ electis piſcibus cõtinet, quã cũ Iudicij tẽpore Dñs aperuerit, exinde vaſa iræ ꝓferet, in igneq; ꝓijciet, vaſis hiſce inutilibus pręparatũ. Attamẽ theſaurũ Dñi ſiue Eccleſiã, ſiue ſepulchra dixeris, vtraq; ſũt die illa aperiẽda, & exinde vaſa irę, & miſericordię ꝓferẽda, cũctoſq; homines de terra cũ magno illo diſcrimine exituras, hæſitare nõ libet. Sic ad iudiciũ omnes aut vi, aut volũtate celeres properabũt. Illi Dęmonibus pulſi, tracti raptati vltra progredi cogentur inuiti. Spõte iſti, Angelis plaudẽtibus, agilitatis dote ſublimes, ad locum retributionis potius quam iudicij iter feliter dirigẽt.

O quale illud omnium placidiſſimũ intuentium corda amoris dulcedine rapiturum ſpectaculum erit, cernere, hinc electos in corporibus glorioſis terræ vale dicẽtes, in aera ſurſum rapi, & lucidarum nubium vehiculis conſidentes, in occurſum Regis procedere; illinc Regem de ſummo empyrei vertice cum tota curia, in nubibus, ac regia maieſtate, obuiam illis deſcendere, atque in media aeris regione ſibi inuicẽ occurrentes conſiſtere.

In media aeris regione iuſti ex terra, Chriſtus, & Angeli ex cælo venientes ſibi inuicem obuiabunt

Ho. O dulciſſimum vtriuſq; comitatus occurſum, occurrentiũ animos liquefacturum; putas ne illic inueniar ego? Quis enarrare ſufficiet, quanta erit in occurſu illo mutuæ agnitionis lætitia? qualia erunt amoris ſigna? beneuolentiæ verba? quales iubili in corde latẽtis, imò foras erũpentis oſtenſiones? quis mutuus glorioſi cuiuſq; vultus intuitus? quomodo in dulces ruent amplexus, & dulcia figent oſcula, poſt diutiſſimam moram ſe tandem reuiſis? imò cognitis nũquã viſis, vt potè Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & ſingillatim cęteris. Crederem etiam occurſum illũ, lætiſſimam illam, & primam abſentium viſionem, atq; notitiam plus gaudij, & admirationis fore his allatura, qui nec in carne ſe viderant, nec nudæ eorum animæ inter ſe aliqua habuere commercia, habitaculis, ſitibuſque diſtictæ. Prima namque ardenter, diuque expectatorum abſentium viſio, prima intuitiua præſentium cognitio, primi amplexus, dulciora, & cariora nouitate contingunt.

Lætitia magna ex mutua agnitione iuſtorum

Ang. Gaudia illa ſpiritualia, nulla vnquã viciſſitudine variãda, aut proceſſu tẽporis minuẽda, lętis mundanorũ euentibus, in quibus nil diu permanẽs inuenitur, nõ benè certè metiris. Mũdana nanq; lætitia hodie feruet, cras in nihilũ euaneſcit; atq; nouis

Mundanum gaudium repente in nihilum euaneſcit

ſuccedentibus gaudijs cedunt præexiſtentia locum, in nihilum abeuntia, quinimò extrema gaudij, & quandoque principia luctus occupat. Sic etiam ſiniſtri, ac triſtes huius vitæ euentus ſibi inuicem ſuccedentes mutuò ſe extinguunt. Quis enim ferret omnia ſimul triſtia, quæ decurſu longioris temporis pertulit? Non ſic gaudia, quæ in patria beatis accidunt, & accreſcunt,

Quicquid gaudij ex recte factis accidit beatis, nunquã tranſit; idem dicendum de reprobis, quoad pœnas illis accidentes ex malefactis.

Noua illis quotidie accedunt gaudia, dum per ſua ipſorum recte facta, exemplaque relicta propagatur religio, augetur deuotio, & multorum amiſſa redit periclitantium ſalus; Accedunt noua quæ non erant, non recedunt, quæ erant, amborum neutris æternaliter tranſituris; Idem de reprobis prauarum conſuetudinum inuentoribus, ac ſatoribus dicas, qui tot quotidie nouis, nulla longinquitate temporum receſſuris, dolorum confodiuntur gladijs, quot, eorum cauſa, committuntur peccata. Hinc conijce accidentia electorum gaudia, reproborumque tormenta in qualem, & quantum ſint cumulum excretura ad finem vſque ſeculorum protenſa.

Ho. Doctrinam hanc veram eſſe non dubito, quam vtinam iuſti pariter, & iniuſti ſemper, aut ſæpe in corde verſarent, neq; ego huic veritati contradicere vnquam volui, noua illa electorum gaudia ex mutua agnitione futura, maiora in quibuſdam fore affirmans. Quinimo indifinita hæc Iuſtorum, impiorumque cauſa, vt tandem finiatur, iudicium fieri oportet, vt hæc ſit præcipua inter alias, vniuerſalis iudicij cauſa.

Potiſſima vniuerſalis iudicij cauſa.

Nunc tamen te docente intelligo, qua ratione diues ille in tormentis poſitus, rogabat Abraham, vt Lazarum ad fratres mitteret commonendos, ne praua à ſe relicta ſequerentur veſtigia, & in eundem tormentorum locum venirent; hoc enim rogabat, non fratrum periclitantium amore, aut compaſſione permotus, ſed ne ſuarum pœnarum cumulus, quem ex eorum peccatis auctum experientia nouerat, magis, ac magis illis exemplo ſui peccata augentibus augeretur, & illorum præſentia intentius, & acerbius torqueretur.

Cur diues in tormentis poſitus rogabat Lazarũ ad fratres mitti.

Ang. Igitur prima electorum reſurgentium viſio, prima olim cognitorum, vel nunquam cognitorum agnitio; primi amicorum amplexus, prima carorum oſcula, dulciſſima quidem erunt, quia prima; ſed ſic dulciſſima in affectu ſemper erunt, quia eorum ſemper ſtabunt nunquam ſeneſcenda primordia.

Ho. O infelices reprobi, ad punctum ſuper terram relicti, poſtmodum ſub tartara detrudendi, quid agetis, cum videritis

Quàm ægre ferent reprobi electorum felicitatem

ſupra

ſupra vos conuentum illum beatiſſimum? eorum felicitatem cernetis, & cernentes gemetis, & gementes cognoſcetis infelicius nil fuiſſe felicitate peccantium. Audietis, & audientes confundemini, cum vobis dicetur. *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.* Eſaiæ. c. 65.

Quid aget tunc infelix ille Pilatus, ſe ab eo iudicandum, atque damnandum cognoſcens, quem tanquam reum tam iniuſtè damnauit, tam atroci, ac turpi crucis morte mulctauit? Magna perſequutorum confuſio, viſis Martyribus

O quomodo tanti ſceleris conſcientia tremebundus, nudo latere palpitabit, donec in ſe triſte æternæ mortis proferatur edictum. Quid faciet viliſſima, & præ metu agglomerata perſequutorum turba, cum ipſi eos viderint, in quos tam exquiſita, tam crudelia exercuere tormenta, in ſolijs iudicantium fulgentiſſimos conſidere, paratos tormentorum rependere vices? Arbitror enim ſingulos quoque Martyres in ſuum quemque occiſorem ſingularem præter communem, æternæ mortis ſententiam prolaturos. O quomodo hæc videntes, & pariter audientes, *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, & præ anguſtia ſpiritus gementes: hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improprij; Nos inſenſati vitam illorum extimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorũ eſt.* Sapient. 5.

Sed nunquid Paruuli ab originali ſorde non loti, cum cæteris reprobis his prementur anguſtijs?

Ang. Quomodo Athleta, qui non eſt in agone conſcriptus, neque flagella metuit, neque expectat coronam; ſic Paruuli comparebunt quidem, non vt diſcuſſionis ſubijciantur iudicio, nec vt ſententiam ſubeant damnatorum, ſed vt videant iudicantis gloriam, vincẽtium athletarum coronas, & eorum, qui turpiter victi, deiectique fuere, confuſionem. Cæterum, ipſi ab vtriſque ieiunis, iniudicati ab vtriſque recedent. Sed omiſſis reprobis, quos, ite maledicti, quam primùm edito, horribilis confeſtim viuos deglutiet orcus. An Paruuli iudicādi ſint

Attende, quo amore, qua verborum dulcedine, & ſuauitate tunc Iudex illos demulgebit electos. Venite inquiet, benedicti Patris mei. Nunc cernitis veraciter adimpletum, quod olim Quæ verborum ſuauitate Chriſtus demulcebit electos

morta-

Ioan. 16. mortalis cum mortalibus degens, fideliter repromiſeram. *Iterum videbo vos* (promiſi) *& gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Ecce vos iterum video, & me viciſſim videtis: Ecce quos olim inglorius glorioſos effeci, glorioſos video; & vos, quem in cruce pendentem vidiſtis inglorium, ecce glorioſum videtis, propter quam viſionem cor veſtrum gaudet, & gaudium veſtrum ab hac viſione dependens,
Ioan.cap.14. nemo tollet à vobis, quia nemo à vobis auferet viſionem. Promiſi diſceſſurus; *vado parare vobis locum; & ſi abiero, & praeparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*. Abij, & locum paraui, & nunc quę promiſi, completurus aduenio; Venite benedicti. Ploraſtis, fleuiſtis, contriſtati eſtis, ſed ecce, vt promiſi, ploratus in riſum, fletus in cantũ, triſtitia in gaudiũ verſa eſt ſempiternum. Et contra, nũc oculos ad miſeros illos conuertite, & videte quomodo verſa vice, riſus in ploratum, cantus in fletũ, eorumq; gaudium in triſtitiam verſum ſit ſempiternã. Vos parturientiũ paſſi eſtis preſſuras, ſed nunc noui homines in nouum mundũ regenerati, preſſurarum nõ memineritis amplius. Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, me nunc quoq; ſequamini, eorũ, quæ reliquiſtis, centuplũ accepturi, æternamq; vitã cum Angelis poſſeſſuri. Venite benedicti. Vox iſta prolata à Chriſto, ab Angelis quaſi Echo dulciter recãtata, & per caſsũ aeris repercuſſa, vndiq; reſonabit. O quanta tũc melodia ſyrenę illę dulciſonę, per choros hinc inde diſtinctę, tremulis, alterniſq; vocibus repetent. Venite benedicti: Vix illę complent extremam vocis partẽ, benedicti, cũ iſtę iterum, quaſi priorum æmulę, modulatæ incipiunt. Venite benedicti: ſicq; choris ſibi inuicem arridẽtibus, vndiq; auditur ſuauiter decantatũ, Venite benedicti, datq; repercuſſa & dulcius aura melos. Sic demũ triumphantes ad ſupernam redibimus ciuitatẽ.

Electis quomodo cuncta triſtia conuertentur in læta.

QVAM FELIX, ET FESTIVVS AD CIVITATEM triumphi triumphantium reditus poſt Iudicium.

CAPVT QVARTVM.

Ho. Num iuſtos die illa horrificus impiorum ſic oblectabit interitus, vt verè de illis & illorum ſingulis, Vaticinium illud intelligatur. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris?*

Pſ. 57.

Quemad-

Ang. Quemadmodum reprobi, viſis tot inſignibus, cũctiſq; lętis victorum triumphis, victi ipſi, & miſerrimè triumphati, aucta triſtitia, maximo confundentur pudore: Sic electi, perſpecta impiorũ ruina, cumulata ex eorum perditione lętitia sũmoperè gaudebunt, Deoq; gratias referent immortales, iuſta, & vera illius eſſe iudicia in illa reproborum ſubuerſione, oſtenſa, humiliter confitentes. Memineris, quanta hębreos lętitia cumulauerit triſtis illa ægiptiorum in mare demerſio, cum primum viſa ſunt miſera eorum cadauera inter aquarum vortices, incerto tempeſtatum flatu, huc, atq; illuc exanimata iactari? Et quomodo Maria ſoror Moyſi omnium prima, ſpiritu Dei diuinitus afflata intonuit, ac decantare incepit. *Cantemus Domino glorioſe*? quam cęterę mulieres mira exultatione ſequutę, ſumptis lętitię timpanis, triumphalem hymnum ad finẽ vſq; dulciter cecinere?

Gaudium electorum ex ruina impiorum proueniens, quantum

Exod. 15.

Exitialis iſte ęgiptiorum euentus, extremum illud impiorum, in fine mundi, protendebat exitium, & pariter gaudium, quod ex illorum præcipiti in Tartarum deſcenſu, superuenturum erat electis. Tunc Maria Virgo auguſtiſſima sẽper, & celſiſſima vbiq; Imperatrix, profundo, amploq; terræ hiatu, Inferorum penetralibus denudatis, in tartareos, ardenteſq; rogos, reprobos cecidiſſe aſpiciens, omniũ prima triumphalem hymnum decantare incipiet, Cantemus Domino, quam tota electorum concio reuerenter ſequens, triumphale canticũ, cantũ Virginis coeptũ, canoris vocibus proſequetur, quod non ſemel, atq; iterum ſed millies repetens decantabit. Decet namq; victores de prælio ad patriam reuerſuros, & triumphantes reuerti, & triumphalem eorum gloriam ab omnibus acclamari. Sic felices illi ad empyrea Regna cum Chriſto, victis hoſtibus conuolabunt. Sic beata triumphantium Angelorum, hominumq; ſocietas redibit cum Rege ſuo perenniter regnatura.

Figura pulcherrima

Ho. O felix, & feſtiuus ad ciuitatem triumphi triumphantium reditus: Redite fortunati ad Regnum vobis ante certamẽ, præuiſa tamen certaminis gloria, prouidè præparatum. Redite lęti ad Ciuitatem, in qua eſt lætantium omnium habitatio, vbi deſiderium omne tranſit in gaudium. *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta populus acquiſitionis*, Chriſti ſanguine acquiſitus, in admirabile, atque inacceſſum diuinitatis lumen vocati; pergite beatiſſimi, pergite ad videndum eũ in bonitate electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, vt laudetur cum hæreditate ſua. Intrate fideliſſimi comilitones in gau-

Ingens gaudium Electorum ad patriam redeuntium.

1. Petri. 2.

in gaudium Domini veſtri, ducis veſtri, gaudium ſuper gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium. Sed quid beatiſſimi illi inter eundem ſentient, mira tam multa, & ab humanis ſenſibus remotiſſima in vaſtis illis cælorum regionibus intuentes?

Ang. Qui vaticinans dixit. *Quoniam videbo cælos tuos, lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti*, tunc præſens dicet. Quoniam video cælos tuos, & quæ olim ſurſum aſpiciens, nec viſu attigeram, nunc pedibus tero. Amplos, & amænos cæleſtium ſphærarum campos retro mortalibus inacceſſos, immortalis acceſſi, terramque ſubtus relictam de longinquo aſpiciens, perexiguam cerno, & nullius propemodum quantitatis, ſi vel vnius tantùm orbis epiciclo comparetur; præſens adſum, & video cælum illud olim terræ incolis ſpectatiſſimum, tot vbique ſtallarum facibus illuſtratum, tot ſyderum varietate depictum, ac tanta pulchritudine decoratum, vt vix credam aliud hoc cælo illuſtrius inueniri; Verùm, neque hic ſiſtendum, non hic regia ſummi regis, non hic beatorum ſedes, & domicilium. Iſta quoaduſque pulchriora non videas pulcherrima tibi videntur (ſic ſpiritus intus loquetur) ſed alia videnda ſuperſunt, quibus viſis, prius ſpectata deſpicies. Excelſæ ſyderum regiones, infimæ ſunt, nimiumque vileſcunt, empyrea adeuntibus regna. Sydera intermedia plus deorſum diſtant ab eo quò tendimus, quàm ſurſum emineant ab his, vnde receſſimus.

Pſal. 8.

Cælorum pulchritudo electos oblectabit

Maxima Empyrei pulchritudo

Ho. Cælum illud, vbi Deus ſuam eſſentiam clariſſimè videndam beatis mentibus aperit, cunctorum corporum pulcherrimum eſſe non ambigo, vtpotè quod pro ſua dignitate, & eminentia, in ſe vno omnium pulchritudinem vel realiter, vel eminenter contineat, ſicut immenſo ſuæ latitudinis circumflexu cuncta complectitur corpora, ſed quis mortalium, ſydera, quibus decoratur, excogitet?

Ang. Alijs alterius pulchritudinis inſignitum ſyderibus cælum illud præfulget. Sydera illa viuentia ſunt, intellectualia ſunt, non affixa, vt ſydera firmamenti, ſed libera, diſcurrunt, paſcuntur, vitamque ducunt beatiſſimam, quorum ductor, & paſtor Chriſtus. Sic vitã, quam ſydera iſta humanis oculis ſpectabilia fabuloſè dicuntur habere, illa veraciſſimè habent.

Ho. Si aſtra illa, feliciſſimos eiuſdem cæli incolas, Angelos videlicet, cæteroſque beatos intelligis; cum Chriſtus ad iudicandum venerit, Angelorum cunctis comitatus agminibus,

empyreum ſuis expoliatum ſyderibus remanebit: Qua propter ſi ipſe Chriſtus, & tota ſecum electorum vniuerſitas, ſi omnia, inquam empyrei ſydera redeuntia, ibi ſiſterent, vbi tot alia fulgent ſydera, quid præter ampliſſimam peripheriam ſupereſſet empyreo ſyderibus viduato? & quid pulchri deeſſet firmamento duplici ſtellarum genere decorato?

Ang. Vbi Deus clarè viſus ibi pulcherrimus paradiſus: in triduo mortis Chriſti formoſius fuit ſubteraneum illud Sanctorum habitaculum, quàm cçlum ſydereum, quia Deus non in aſtris, ſed in limbo clariſſimè viſus fuit, quo tempore latro præclarus Chriſti confeſſor fuit cum Chriſto in Paradiſo, non ſupra cælum illud, ſed ſubtus terram, quia ibi Deum vidit, & locus quidem quicunque ſit, ſiue cælum, ſiue Infernus; Paradiſus eſt, ſi Dei adſit viſio. *Ibi Paradiſus, vbi clara viſio Dei*

Ho. Cum igitur Deus ſit vbique viſibilis, & viſio ſit tota merces, cur potius in empyreo, quàm alibi Paradiſum conſtituit?

Ang. Decentiſſimum fuit ſupremum bonum in ſuprema corporum altitudine proſpectari, nam quemadmodum anima licèt in toto corpore ſit tota, in ſuprema tamen corporis parte, in capite ſcilicet ſuam detegit pulchritudinem, nobilitatem oſtentat, opera exercet illuſtria, ſedemq; ibi ſenſus obtinent vniuerſi; ſic Deus cum in toto ſit vniuerſo, in ſublimiſſima nihilominus parte tanquam in huius maximi corporis capite, ſe videndum comprehenſoribus offert, ibi ſuæ gloriæ, ſuarumq; diuitiarum theſanrum manifeſtat, & totum ſingulis tradit perenniter poſſidendum: cçterùm quàmplures Angeli, hominum, prouinciarum regnorumq; cuſtodes vbicunq; ſint, in Paradiſo verſantur, quia ſemper, & vbiq; Deum vident, & Angelus orbis lunæ motor in orbe lunæ Paradiſum habet, ibi Deum præſentem clariſſimè videns, & ſic de alijs. *Quare Deus in empyreo Paradiſum conſtituit*

At die illa, cunctis, angelica indigentibus cura, in puluerem ſuum reuerſis extincto humani generis ſeminario, vel potius in electorum collegium commutato, laborioſa Eccleſiæ militantis meſſe ad finem vſque perducta, electiſque granis in horreum Domini comportatis. Negocium ſeculorum vſque ad prædefinitum electorum numerum protendendum expleto numero, concludetur; & Angelorum extra verſantium ſuo quiſq; perfunctus officio, ad natale ſolum, vnde oriundus, ad ciuitatem ſuam, ad propriam ſedem feliciter remeabit, haud inde vlterius receſſurus.

MAXIMVM FORE ELECTORVM GAVDIVM in ipſa Cæleſtis regionis ingreſſu, Ex pulchritudine loci, ac bonorum omnium affluentia.

CAPVT QVINTVM.

Ang. DEniq; Electi cæleſte regnum ingreſſi, eiuſdemque regni poſſeſſione accepta, atque noui Reges, Regum diademate coronati, quàm multa, quàm varia eos ibi gaudia obtinebunt, quantaque bona parata inuenient, norint comprehenſores, credant interim viatores, acquirere ſatagant, quod æſtimare non valent; rerum nanque cæleſtium facilior eſt acquiſitio, quam æſtimatio.

2.Cor.12. *Ho.* Mortali homini, bona, quæ ibi latent, ineffabilia eſſe, Paulus poſt raptum apertiſſimè conteſtatur dicens, ſe audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et iterum, quæ Deus præparauit diligentibus ſe, nec oculum vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, nec in cor hominis aſcendiſſe; Et aliàs, exiſtimo, (inquit,) quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Similitudo ſitis accomoda ad explicanda bona cæleſtis patriæ

Ang. Accidit Paulo, quod peregrino ad patriam redeunti accidere interdum ſolet, qui ab extremis terrarum finibus, Romanæ vrbis viſendæ deſiderio flagrans, per ignotas regiones iter aggreditur, multaque in itinere perpeſſus incommoda, ad illam tandem peruenit, vbi adamuſſim cuncta rimatus, nimirum templa ornatiſſima palatia ſuperbiſſima hortos amæniſſimos, fora ampliſſima, domus frequentiſſimas, fontes, columnas, pyramides, obeliſcos, theatra, turres, officinas omniū rerum ad humanum vſum vtilium; & pręcipuè ſummum Chriſti Vicarium, vicem Dei in terris gerentem, ac pium purpuratorum coetum, plus charitate rubentem quam purpura, atque alias nobiliſſimas vtriuſque ſexus perſonas contemplatus ad ſuos reuertitur, quem ſtatim, ciues vndique importunè circundant, certatimq; interrogant, quę viderit, quę vè ſint illius vrbis magnalia. At ille ex profundo trahens corde ſuſpirium, reſpondet mirabilia, quę ibi viderit, excedere omnifariam illarum gentium captum propterea nec ſibi licere de eis per ſingula ſingillatim loqui, hoc tamen ſciatis, inquit, quod licèt quàm plurimos perpeſſus fuerim pro illuc adeundo, labores, poenaſq. pertulerim

indi-

indicibiles, omnia nihilominus citra condignum, & abundè compenſat placidiſſimus ille ſublimis vrbis intuitus, nec me iterum eadem perpeti, pro ea iterum viſenda, tęderet.

Sic Paulus adhuc peregrinus, raptus in Paradiſum, ad ſupernam Ciuitatem, *cui Roma retroſcripta nomen imponit*; pręclara, quę ibi ſunt, per modum tranſeuntis inſpexit, & abijt, atq; inter fideles tantę rei fama protinus aduolante, cuncti aliquid ſibi à Paulo de ſuperna illa ciuitate referri, ſummopere cupiebant, & pręſertim Corinthij, quibus ſic ille reſcripſit. Qui raptus eſt: *Audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, quæ ibi latent, incomprehenſibilia ſunt, nec poſſunt mortalibus enarrari: Rurſus Corinthij Paulum obnixè rogabant, vt ſi quæ vidit, plenè enarrari non poſſunt, velit ſaltem tantiſper ſibi cupientibus intimare, quibus reſpondit. Quid iterum me de viſis, atq; intellectis arcanis interrogatis? iam dixi vobis non licere homini loqui, ea quæ ſenſum hominis ſubterfugiunt. Quæ Deus præparauit diligentibus ſe, ſub ſenſum viſus non cadunt, quia nec oculus vidit; nec ſub auditum, quia nec auris audiuit; ideoque neque ſub intellectum, quia nec in cor hominis aſcenderunt; humana nanque cognitio à ſenſibus pendet, vt nihil ſit in intellectu, quin prius in ſenſibus fuerit. Romani quoque de patria illa beatiſſima aliquid edorare optabant, quorum votis benignè annuens, dixit: Tam multa, & glorioſa in Ciuitate Dei (raptim licèt) aſpexi, *Quòd paſſiones huius temporis non ſunt condigna ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, ciuitatem illam ingreſſis.

2. Corint. cap 12.

Roman. 8.

Ho. Bona illa, mea aliquando futura, meam nunc ſubterfugere intelligentiam, gaudeo; pratioſior eſt theſaurus, & amabilior, qui ſupputari non poteſt. Attamen de bonis patriæ, ac de gaudijs Paradiſi aliquid animum præſagire, atque etiam prægustare, viatoris in ſpe ambulantis quamplurimum intereſt. Nam & Apoſtolus multa illorum bonorum intelligentia pollens, ac tantiſper etiam primoribus labris eorum prægustata dulcedine, totus ardens, totus in deſiderium actus currebat, non paſſibus ſed affectibus; Viatores (inquit) ego vos præcurro, valete. *Quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis.*

Philip. cap. 3

Ang. Rectè dicis, cariſſime; Itaque cum homo ex anima, & corpore conſtitutus, vt ſit perfectè beatus, indigeat in vtroq; beari:

In patria duplex bonorum genus

beati; duplex gaudiorum genus totum beabit hominem: erunt igitur ibi interna, ideſt, animæ gaudia, erunt & externa, ideſt, corporis, & vt à notioribus ſit ad minus nota proceſſus, de externis prius dicemus. Sit ergo primum electorum gaudium exterius, cæli empyrei ſublimitas, amplitudo, ſplendor, amenitas, & omnis cuiuſque generis pulchritudo: Eſt enim cælum illud ſupremus mundi terminus cæteros orbes ſuo ambitu circumcingens, ac propterea ampliſſimũ, eſtq; immobile, impaſſibile, vniforme, ac totũ vbiq; vniformiter ſplendidiſſimũ, quod etiã in ſcripturis terra viuentiũ, & viuorũ regio nuncupatur. *Portio mea ſit*

Pſal. 141. & 114. *in terra viuentium. Et placebo Domino in regione viuorũ.* Et ipſe

Matth. 5. Saluator hoc cælum terram ſimpliciter vocat. *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*. Tum quod ſicut inter elementa ſola terra eſt immobilis, ita inter cælos, empyreum, tum quod quemadmodum terra nunc eſt domicilium hominum mortalem viuentium vitam; ita tunc cælum empyreum erit ſedes iuſtorum hominum beatam, æternamq; ducentium vitam. Hoc cælum licèt noſtrum ſit natale ſolum, magis tamen pro homine, quàm pro Angelo conditum eſt. Si enim Deus propter ſtatum hominis mortalis, & ad huius breuis vitæ vſus, & commoda tot cælos condidit, qui irrequieta verſione circumaguntur; ſic, & magis etiam conſentaneum fuit facere cælum aliquod, quod eſſet ſtatui hominis poſt reſurrectionem, animo ſimul, & corpore, beatam, & immortalem vitam agentis. Ex hoc empyreo cælo cernent, & contemplabuntur electi præſentem mundum purgatum, & innouatum, ſublatis impijs, ne videant gloriam Dei, è cuius aſpectu augebitur illorum gaudium.

Ho. Num etiam ex celſiſſima illa ſpecula damnatorum pœnas beati cum voluerint, proſpectabunt?

Beati vident damnatorum pœnas

Ang. Nihil eis negandum eſt, quod ad eorum ſpectat felicitatem; conducit autem eis, vt damnatorum intueantur pœnas; tum vt plus gaudeant inde eſſe exemptos; tum vt cumulatiores gratias Deo referant. Iuxta illud, quod ſcriptum eſt.

Eſaiæ vltimo *Egredientur, & videbunt cadauera eorum, qui præuaricati ſunt in me.* ideſt beati ad videndum damnatos intelligentia, vel viſione manifeſta, non ſolùm in verbo, ſed etiam in proprio genere, viſu aſpectuq; corporeo.

Ho. Videbunt ne reprobi electorum gloriam poſt iudicium? Quòd enim ipſi in Inferno iam abſtruſi, inde viſuri ſint exiſtentes in Cælo, nullibi in Sacra Scriptura inuenitur aſſertum.

Ang.

Ang. Poſt iudicium in profundioribus tenebris erunt impij, vbi nullam Dei lucem videbunt, vnde nec electos nec electorum gaudia poterunt contemplari: eatenus tamen eorum felicitatem videre cenſentur, vt in genere, & in confuſo intelligant eſſe maximam; & hæc viſio ſatis erit ad internam ipſorum augendam pœnam, confuſionem cumulandam, maioremque in eis rabiem excitandam; hoc pacto gloriam filiorum Dei reprobus peccator: *Videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.* Reprobi poſt iudicium nõ videbunt electorum gloriam Pſal. 111.

INTERROGATVS ANGELVS, NVM VERA ibi ſint pro veris hominibus ædificia, mirum dat reſponſum.

CAPVT SEXTVM.

Ho. DIxiſti Angelum quemlibet nunc extra empyreum pro ſui muneris functione verſantem, tunc illuc ad propriam ſedem reuerſurum. Nunquid verè ibi ſunt ſedilia, palatia, aliaque ædificia? Reſponſum expecto; tu verò ſubridens taces, quaſi impertinens fuerit mea de tabernaculis inquiſitio; & quemadmodum Petrus Chriſti gloriæ ebrius dicebat ſe velle in monte tabernacula facere, & ſic loquens, quid diceret neſciebat; ita & ego tabernacula in empyreo an facta reperiantur, exquirens quid dicam pariter neſciam. Attamen ſi pijs contemplantium dictis fides adhiberi poteſt, ampla ibi, & pulcherrima vbique ſpectantur palatia, niſi fortè & ipſi ebrij deſiderij tanti loci, talia ibi ſuis conceptionibus conſtruant ædificia. At non illis tantummodo, ſed doctiſſimis quoque viris rationabile admodum viſum eſt hoc aſſertum; tàm ex parte loci, quàm incolarum eius. Ex parte loci, qui ſicut eſt latitudine ampliſſimus, ita & forma pulcherrimus, vtpotè omni cuiuſcunque generis pulchritudine decoratus, cui propterea ædificiorum decor deeſſe non debet. Si in hoc omnium infimo elemento, ſi in hac morientium terra inueniuntur res adeò variæ, quæ videntium animos oblectant, tam exquiſitæ, & excellentes, quæ intuentium corda in admirationem rapiunt, cuiuſmodi res erunt in ſupremo illo totius vniuerſi termino? Probat Theologus in patria eſſe palatia

Si hæc flentium terra verno tempore virens, roſis, ac multiplici florum ſtemmate coronata, cælum refert ſerena nocte ſtellatum, qualis erit regio illa beata, qualis illa lætantium terra? Si ars humana, hominumque induſtria naturæ admixta tantùm rerum pulchritudinem auxit, quantùm diuinam artem, fulgentiſſimi illius cæli pulchritudinem varijs ædificiorum ſtructuris auxiſſe putamus? Aut quis credet, nihil aliud ibi præter illam immenſam latitudinem, atque interminabilem longitudinem inueniri?

Regnum Dei, Ciuitas Dei, Domus Dei dicitur cælum illud. regnum multas complectitur ciuitates ciuitas multa, & ampla continet ædificia, ædificium multas habet diuerſi generis manſiones. Quid ſi regnum illud, iuxta nouem Angelorum choros, in nouem diſtinctum dixerim Ciuitates? quarum prima, & ſuprema ſit illa, quam primi, & ſupremi ſpiritus, qui ſeraphim nuncupantur, inhabitant. Secunda, quam incolunt Cherubim; & ſic conſequenter aliæ aliorum ordinum ciuitates, in quarum ſingulis poſt ruinam, plurima luxere quodamodo vacua habitatore palatia, nouos expectantia ex terreſtri regione colonos. qui cum ſint illuc veri homines profecturi, non decet eos immobiles permanere, velut ſimulacra illa, de quibus dicitur, *Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt*; ſed cum pedes habeant, & manus digniſſima corporis organa, & ſpatiari, & palpare poterunt, cum voluerint, vt ſua fruantur libertate; At cum ſpatiari voluerint, nunquid more pecudum turmatim diſcurrent? & cum poſt motum ſiſtere, num cateruatim ouium inſtar morabuntur? quod certè accideret, niſi eſſent ſingulis attributa domicilia, non quidem neceſſaria ad caloris, vel frigoris propulſandum moleſtias, quas iucundiſſima, & viciſitudinis expers illic rerum temperies non admittit, nec vt more caſtrorum intùs contutati incolæ alij ab aliorum velut hoſtium ſe defendant incurſibus, quos cæleſtis Ieruſalem inſolubili charitatis vinculo, æternoque pacis foedere pia Mater conſtrictit, quorum proptereà eſt cor vnum, & ſpiritus vnus, vbi ſola charitas regnat, pax ſola triumphat, commune gaudium omnes obtinet; ſed ad illius ciuitatis ornatum, ad diſtinguendum, atque collocandum electos, vt quò ſingulorum merita vocant, eò pro ſua vnuſquiſque dignitate aſcendat, ad hoc, inquam, magnifica ibi ædificia piè credimus reperiri, hoc ordine diſpoſita, vt primùm ſpectandum ſe offerat, velut ſol inter ſydera, pul-

Pſal. 113.

Ad quid ibi palatia eſſe oporteet.

ra, pulcherrimum ſummi Regis palatium, eò tantiſper inferius, & à dextris palatiuum ſuum auguſtiſſima obtineat Imperatrix, poſt primum cætera palatia celſitudine, amplitudine, pulchritudine, claritate ſuperans, ſicut & ipſa Regina cæteros in his omnibus antecellit; deinde alia ſecundùm varias præmiorum dignitates ſequantur, vt vnicuique palatio talis futura ſit cum habitatore proportio, vt quanta fuerit inhabitantis claritas; tantus & habitaculi ſplendor; quanta locatorum formoſitas, tanta locantium pulchritudo, vtrunque tranſlucidum, ſcilicet continens, & contentum. Et fortaſſe palatia, & illa etiam, quæ adhuc vacua habitatore ſuperſunt, inſigne aliquod habent quo, quorum futura ſint, agnoſcantur. Ecce quomodo tam ex parte loci, quam incolarum, ibi ædificia eſſe, piè conuincitur. Auſim quoque dicere, prata ibi eſſe amæniſſima, nemora, aliaque ſimilia, quorum varietate & electorum oculi delectentur, & ipſa cæleſtis ciuitas exornetur.

Ang. Quorſum hæc tua ſpectat oratio, vix finem habitura cum nocte? multa dicis, multa (& cuinam?) nemine contradicente, opponis. Ego humano more ſubridens tacebam, quia me ardens interrogantis deuotio delectabat, talibus nanque colloquijs adſunt Angeli, multòque libentiùs, quàm vociferantium ſcholaſticorum congreſſionibus, vbi clamoribus terrefacta deuotio longiùs exulare cogitur; Ad has piorum collationes eminùs odoratas electi ſpiritus protinus aduolant. Igitur multas diuerſi generis manſiones ibi eſſe pro qualitate meritorum ſingulis ſingulas attributas, aſſerente Chriſto, non eſt cur dubitet chriſtianus.

De palatijs verò, tu, qui Theologum agis, & alij huius ſententiæ auctores aduertiſſe prouidè debebatis, quanta ex deuota illa ædificiorum poſitione forent inconuenientia ſequutura; nam palatia illa, cum finita ſint, numerari poſſunt, & per conſequens electorum numerum aperire, quòd ſi etiam ſingulis ſingula addas inſignia, vt quorum futura ſint, agnoſcantur, nedum numerum propalarent, ſed etiam ipſos non dum natos præmonſtrarent electos illuc poſtmodum aſcenſuros, vtrunque inconueniens maximum, ſcilicet aliunde extra verbum, abditiſſimum prædeſtinatorum numerum ſoli Deo cognitum poſſe Angelos intueri, & ſignanter etiam hanc, & illam electas præſcire perſonas in ſuperna felicitate locandas; Quod certè arcana hæc ſupernaturalia, & nondum exiſtentia videre in verbo, ſingulari

Quæ inconuenientia ſequutura, ſi ibi palatia eſſent

priui-

priuilegio vix paucis conceditur comprehenſoribus. Quòd autem autumas prata, nemora, & ſimilia ibi eſſe; nihil aliud deeſt, quàm vt aues, canes, & quadrupedes ibi conſtituas animantes, vt nobiles ex delicijs ad delicias tranſeuntes, ibi quoque ſpaciari, aucupari, & venari ad libitum poſſint. Fili mi, quomodo ſe habeat, & quæ bona contineat regio illa beata, mortali deſcribi non poteſt, ſed tantùm figuris, & metaphoris aliqualiter lineari. Regnum Dei, Ciuitas Dei, Domus Dei nuncupatur. Regnum indicat amplitudinem, Ciuitas venuſtatem, Domus familiaritatem, electos ſcilicet tanquam filios cariſſimos in eadem domo cum Deo intimè conuerſari. Totum Regnum vna Ciuitas, vna Domus, quia plenum, quia vnitum, quia concors. Et licèt ſub nomine pulcherrimæ Ciuitatis deſcribatur, quod ſcilicet. *Structura muri eius ſit ex lapide iaſpide, ipſa verò Ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo, & fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioſo ornata, & ſingulæ portæ ex ſingulis margaritis, & platea Ciuitatis aurum mundum;* non tamen cæleſtis Ieruſalem verè ex auro, & lapidibus pretioſis, quales habentur in terris, ornata cernetur, ſed vt intelligant viatores cæleſtem ciuitatem tantùm præſtare terrenæ, quantùm aurum præſtat luto, & margaritæ ſaxis, & ſtellæ lychnis, & ſol faculæ, & cælum terræ, & mortalibus architectis immortalis opifex Deus.

Apocal. 21.

Ho. O nos ignaros, cum de cæleſtibus agitur, ſcientificos terrenorum; quàm rectè hominum ſapientiſſimus cum ad diuina intelligenda acceſſit, cæleſtis luminis mentis acie hebetata fulgore, velut cæcutiens exclamauit. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum; non didici ſapientiam, & non noui ſcientiam Sanctorum.* Quaſi dicat. Licèt tantam in me congregatam habuerim ſapientiam, vt propterea filius congregans meruerim appellari, & in alios doctrinam tam abunde effuderim, vt vomentis nomen acceperim; Attamen cum ad cæleſtia ventum fuerit, ſciant omnes me ſtultiſſimum eſſe, nec me mortalem hominem, Sanctorum in Cælo degentium ſcientiam didiciſſe, quæ certè diſci non poteſt, niſi Cælo conſcenſo. At quis mortalium (ſequitur ille) *aſcendit in Cælum, & deſcendit?*

Prouer. 30.

Igitur quæ dixiſti, & meam detegunt ignorantiam, & ego ſatis bene percepi. Si inconueniens eſt aſſerere beatos poſſe aliunde extra Verbum, prædifinitum electorum numerum in-

telli-

telligere; cùm & in ipſo deitatis ſpeculo vix paucis concedatur aſpicere; aut huiuſmodi excogitata à nobis palatia non ſunt; aut ſaltem cum cælo empyreo ſimul condita non fuere, ſed vel cum ad laborem huic mundo naſcuntur electi, vel cum ad quietem cælo feliciter renaſcuntur, eorum palatia pariter ſingillatim conſurgunt, & hoc admirabilius eſſet, & maioris lætitiæ argumentum, noua ſcilicet palatia pro his, qui hæreditatem capiunt, ſucceſſiue aſpicere conſurgentia, vt cum vnum, aut plura viderint palatia, quæ non erant, electos totidem natos eſſe intelligant, ad eorum citius ſocietatem peruenturos. Eſſentq; palatia iſta velut electorum ſtellæ in ipſorum natalitijs apparentes, vt felices illius cæli incolæ dicere poſſint. En nouam cernimus ſtellam, nouus cæli hæres, & Rex natus eſt.

Pulcherrima Theologi inuentio de palatijs Beatorum.

Ang. At quia inter fideles non ſunt ſub iudicium ſingula reuocanda, nec theologicæ limæ interuentu cuncta examinanda, talia de regione illa celſiſſima ſimpliciter meditari, & licet, & pium eſt, piorum corda ad cæleſtia erigens deſideria.

Ibi ædificia eſſe, pium eſt meditari

IN FVLGENTISSIMO DEITATIS SPECVLO, totum id, quod realiter Deus eſt, ſed non totum id, quod eminter continet; intuentur electi.

CAPVT SEPTIMVM.

Ho. DOceat fides diuinitatis ſpeculum omnia clariſſimè repræſentans cunctos pariter comprehenſores abſque velamine intueri. Si idem ſpeculum repreſentans omnia vident omnes, cur non omnes omnia vident? Tu enim non omnia videri ab omnibus aſſeris.

Ang. Quia ſpeculum ſpontaneum eſt, eminenter omnia continens, ſed pauciora, pluraue prout vult, ſingulis ſe intuentibus manifeſtans; vnde tot quiſq; aſpiciet in ſpeculo, quot ipſum ſpeculum obiecerit aſpectanda. Nam præterquam quod impoſſibile eſt, intellectualem creaturam lumine gloriæ quantumuis eleuatam omnia in Deo eminenter contenta factibilia, & poſſibilia diſtinctè videre; ſi Beati cuncta ſic perſpecta haberent in Verbo, vt nulla nõ eis peruia eſſent, omnia omnibus innoteſcerent, & ipſe Deus nouas reuelationes ſuis vnde faceret, non haberet, nec inferiores Angeli purgari, & illuminari à ſuperioribus indigerent. Ego enim multa inferior Angelus nouit,

Beati videntes diuinam eſſentiam, nõ omnia vidẽt, quæ eminenter continentur in ea.

non perſpecta in Verbo, quod ſemper aſpicio, ſed ab alijs ſuperiùs exiſtentibus reuelata.

Beati igitur tot vident in Verbo, quot ad ſuum cuiuſque ſtatum pertinent, & ſingulis iuxta varias præmiorum dignitates congruunt, vt quamuis ſingulorum beatitudo ſit in perfect one diſpar, pro ſingulis tamen eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; ibi enim quiſque ſua ſorte contentus licèt inferior, ſuperiori inuidere non poterit, ſed quod habebunt ſinguli, commune omnibus erit, ſicut nunc non inuident Archangelis Angeli, neq; in corpore eſſe vult oculus, qui eſt digitus.

Talis autem eſt viſorum, & videntium ordo, vt Chriſtus, qui eſt primogenitus in multis fratribus, quin etiam vnigenitus Patris, conſtitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum (de Chriſto homine loquor) in ipſo deitatis ſpeculo omnia ſecundum triplicem temporis differentiam factibilia vſq; ad vltima indiuidua, quorum inter mortales non eſt ſcientia, clariſſimè intuetur; id quoq; iudiciaria in vniuerſos exigit collata poteſtas: poſt Filium prope accedit Mater, quæ tanto plura, & clariùs quocunque alio videt in Verbo, quanto excellentius præ illis lumen gloriæ hæreditauit, ad eam quoq, Chriſtianorum cuncta nouiſſe ſpectat, quorum Mater eſt, & aduocata, eoſque proptèrea materna complectitur cura. Et ſic gradatim de alijs iuxta maiorem, vel minorem diuini luminis influentiam, & ſtatus exigentiam.

Ho. Dixiſti impoſſibile eſſe beatum, diuinum ſpeculum intuentem omnia videre poſſe in eo eminenter contenta, licèt ſufficiat affirmantis auctoritas, ſi ratio quoq; huius impoſſibilitatis adeſſet, firmiùs intellectus Angelico adhæreret aſſerto, & ſtabilius conquieſceret.

Ang. Creaturæ in Deo eminenter contentæ factibiles, & poſſibiles infinitæ ſunt, & non niſi infinita notitia, & claritate cognoſci poſſunt; ſed infinitarum rerum infinita notitia infinito ſolummodo competit intellectui. Adde creaturas in Deo eſſe, ſicut effectus in cauſa, & velut diuinæ lucis radios: at infinitam creaturarum ſeriem in ſua cauſa intimè, æternaliterque latentem comprehendere, ſimiliter cunctos illius lucis radios clariſſimè intueri, creatus intellectus non poteſt, niſi creatricem cauſam, Deumque comprehendat, niſi ad lucem incomprehenſibilem, atq. etiam inacceſſibilem accedat comprehen-

dendo

dendam, quod eſt impoſſibile. Datur ergo in viſionibus magna, ſed limitatis concluſa terminis latitudo, vt eorum quæ facit, & facere poteſt Omnipotens, eò quiſque plura cognoſcat, quò eum perfectiùs cumulatiori lumine gloriæ intuetur.

Ho. Admodum clarè percepi, & gaudeo Angelum confirmare, quæ Doctor docet Angelicus. Dicis itaque Deum ſpeculum eſſe ſpontaneum non omnibus omnia repræſentans, ſed nunquid ſemper tale?

1. p. q. 12. art. 8.

Ang. Semper tale, relatum ad ea quæ continet eminenter, ſed quantum ad ea quæ in ipſo formaliter continentur, ſpeculum naturale eſt naturalitèr repræſentans, ità vt cui videndum ſe offert, impoſſibile ſit aliquid ſui abſcondere, ſed omnes omnia vident, ſcilicet eſſentiam, attributa, perſonas; & inſeparabiliter vident, vt impoſſibile ſit videre eſſentiam, quin attributa, quin perſonæ, & perſonæ omnes pariter videantur, omnia enim hæc in vnam ſimpliciſſimam coaleſcunt eſſentiam, quæ in diſtinctis perſonis indiſtincta ipſa, & impartibilis perſeuerat, viſa ergo eſſentia, omnia, quæ ipſa eſt, neceſſe eſt videri. Denique hoc eſt videre Deum ſicuti eſt, videre quicquid ipſe eſt.

Beati vident eſſentiã Dei, & omnia, quæ in eo formaliter continentur.

D. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. ad 3.

Ho. Placent mihi iſta, licèt nimia quibuſdam quæ Dei ſunt ſubtilitate rimantibus non placerent. Sed ſi viſio eſt æqualis in omnibus, quia omnes vident totum id, quod realiter Deus eſt, quæ propterea viſio denarius idem cunctis pro mercede redditus nuncupatur, cur non omnium par eſt beatitudo, idem præmium, æqualis merces? ſiquidem viſio eſt tota merces.

Contra Scot. 3. ſent. diſt. 1. q. 2. & in 4. diſt. 49.

Ang. Viſio eſt æqualis in omnibus, quatenus eſt viſio totius Dei, omnes enim Deum vident, ſicuti eſt, ſed quia Deus poteſt perfectiùs, & perfectiùs videri, & licèt totus, nunquam tamen totaliter videatur, datur in viſione gradus, circa quos Deus adhuc ſpeculum eſt ſpontaneum, & quo gradu ſibi placet, ſeipſum videndum obijcit, ſic diuerſos beatitudinis gradus æquo iuſtitiæ moderamine ſua ſponte diſtribuit, vt qui feruentiori charitate flagrant, clariori ad videndum Deum lumine perfundantur. Itaque in ſuprema retributione gloriæ, quamuis cunctis idem conferatur denarius, quæ erit Dei eſſentia ab omnibus clarè conſpecta, & poſſeſſa, nihilominus viſio illa, & poſſeſſio non erit in omnibus æqualis: atq; adeò, licèt Deus in ſe denarius ſit infinitæ æſtimationis, non tamen in omnibus erit eiuſdem pretij.

Viſio beata gradus habet intenſionis.

Ho. Hinc clarè intelligitur, non propterea Deum incom-

prehenſibilem dici, quaſi aliquid ſui ſit, quod non videatur, ſed quia non tam perfectè à creatura videatur, quantum ipſe viſibilis eſt.

Ang. Deus abſque termino, in infinitum viſibilis eſt, adeò quòd ſi clariùs ſemper, & perfectiùs ſe alicui viſibilem exhiberet, nunquam tam clarè, & perfectè videri poſſet, quin clariùs adhuc, & perfectiùs videretur. Adnota infinitum in viſione proceſſum. Demus nunc beatum clarè, & perfectè Deum videre, poſtmodum in alia ſequenti hora clariùs, & perfectiùs, & ſic per infinitas horas clariùs, & perfectiùs Deum ſemper videndo, nunquam tam clarè, & perfectè videbit, quantùm ipſe viſibilis eſt, ſed ſemper erit ad vlteriora ſine fine progreſſus. Itaque infiniti ſunt beatitudinis gradus, eſtq; in hominis poteſtate per Dei gratiam poſitum, vt poſſit ſuis meritis, & plures gloriæ gradus cumulare, & pretium immutabilis Dei ſibi augere. Heu quantos indefeſſus ſubit infidelis homo labores, bona quærens peritura; & quam parum, & ferè nihilum frigidus, & vecors pro theſauro nunquam defecturo laborat chriſtianus: nimirum, quia filij huius ſeculi in generatione ſua prudentiores filijs lucis ſunt. Tu reſpice Patrem tuum Seraphicum, quomodo, quia modicum laborauit, inuenit ſibi multam requiem. Quomodo. Pauperie æternas condidit, auxit opes.

PVLCHERRIMA ELECTORVM CORPORA ELECTIS *ingens gaudium allatura.*

CAPVT OCTAVVM.

Ang. De exterioribus Beatorum gaudijs erat ſermo, quorum primum, & infimum indicibilem illius cæli poſuimus pulchritudinem; nunc aliud eſt eiuſdem generis gaudium memorandum longè ſuperans memoratum, ex pulcherrima beatorum corporum corpoream quamlibet venuſtatem excedentium viſione proueniens.

Conſidera itaque in primis, quale cuiq; gaudium ſit ipſa ſuimet corporis cum pari pulchritudine claritas allatura, cum beatus ſuum corpus, & Chriſti alternatim aſpectans, ſuum tam olim deforme reformatum ſenſerit, & configuratum

Corpori claritatis Christi, lucis radios ex ſe inſtar ſolis proferre inſpexerit. En caro mea, inquiet, quondam tenebroſa, nunc emula ſolis, ſolis radios ſua luce reſtinguit. Quis hoc fecit? quis talem, ac tantam corpori meo lucem indidit, decorem contulit, appoſuit pulchritudinem? certè ille, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in corde meo, & in carne mea, vt ſim duplici luce beatus. 2.Cor.c.4.

Augebunt inuicem gaudium cætera beatorum corpora, & præſertim Christi, & beatiſſimæ eius Matris ſole ſeptempliciter clariora. Quantùm lætificat ſol vnus ex ortu ſuo vniuerſam terram? quid igitur erit videre ſimul innumerabiles penè ſoles non ſola luce illuſtres, ſed membrorum varietate, ac venuſtate pulcherrimos? Quid erit cernere tot Martyres beatiſſimos in ea corporis parte, in qua pertulere ſupplicia, virtutis præferre indicia? Quid inquam erit, videre ſtigmata in ſtemmata iucundiſſima iam conuerſa, mira pulchritudine ipſa corpora decorantia? nam cicatricum ſigna in corporibus Martirum apparebunt ſecus ſtellæ in Cælo, ſicut lapis pretioſus in annulo, ſicut flos in ſtipite, ſicut color rubeus in roſa. Pulchritudo corporum electorum augebit gaudium.

Ho. Claritas, quam proferent corpora glorioſa, reflexa ne erit, an propria?

Ang. Quænam eſt hæc tua petitio? ne exiſtimes, quòd illa corpora ſint tantum terſa, & polita, vt ſicut ſpeculum alieno lumine fulget; ita & ipſa ſolo illo lumine fulgeant, quòd à ſole, vel cælo empyreo ſuſcipiunt; non ita, ſed quòd in ſe habeant inhærentem lucem, & ex ſe proferant lucis radios, velut ſol ipſe, & pretioſi lapides, qui etiam in tenebris lucent. Denique claritas hæc nihil aliud eſt, quàm fulgor, qui ex ſpiritali animę luce, & beatitudine in corpus influit, vt quemadmodum gloria animæ participatio eſt gloriæ diuinæ; ita & gloria corporis ſit participatio illius, quæ eſt in anima. Corpora glorioſa non aliena, ſed propria luce fulgebunt.

Ho. Intelligo. Ex ſpirituali gloriæ ſplendore, qui eſt in anima, corporalis claritas reſultat in corpus. Beatorum num æquali quiſque claritate fulgebit?

Ang. Alia eſt claritas ſolis, nempè Chriſti, alia lunæ idest Virginis Deiparæ, alia ſtellarum, ideſt aliorum Sanctorum; ſtella enim differt à ſtella in claritate. Pro meritorum diuerſitate diuerſę erunt corporum claritates. Chriſtus erit inter omnes ſicut ſol, atq; beatorum omnium exemplar. 1.Cor.c.15.

Ho. Non facile eſt intellectu, quomodo tam exiguæ quantita-

titatis corpus, quale eſt homi. is, vt ſol, vel etiam ſole clariùs fulgeat, qui o bem terræ pluries magnitudine ſuperat.

Ang. Non eſt opus, quòd vnus beatorum tantum luceat, quàm ſol, propterea quòd ſol quàm latiſſimo interuallo maior eſt beato corpore: ſed ſi daretur tantula particula ſolis, quantum eſt illud corpus, rutilantius illud eſſet.

Quo ſenſu intelligatur, corpus glorioſum eſſe ſole ſplendidiùs.

Ho. Ex his, quæ dicis, & nulla etiam veſtimentorum neceſſitate vrgente nuda potius crediderim, quàm veſtita beatorum corpora permanſura.

Ang. Nudi erunt Sancti, ſed honeſtata claritate nuditas magno illis decori, & gloriæ erit. Nihil putabunt velandum, quia nihil ſentient refrænandum, nec plus de illis membris, quàm nunc de gratioſis oculis erebeſcent; neq; veſtes quantumuis pretioſæ quicquam ad ornatum proficerent, quin potius velarent pulcherrima glorioſi corporis ornamenta.

Nuda erunt beatorum corpora, & ſi d ci poteſt, dupliciter nuda, nimirum tranſparentia, ac propterea admirabilem humani corporis fabricam modo ferè totam ſub cute latentem cũcti rimari poterunt peruia luce perſpicuam: tunc membrorum multiplici reſerata compage, apparebit, quàm rectè concinnet vtilitas cum decore.

Ita tenet D. Thom. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 4.

Ho. Dicis corpora glorioſa fore lucentia, colorata, ac tranſparentia ſimul; ſed hoc tertium duobus reliquis ſic repugnare videtur, vt cum eis compati nullatenus poſſit. Nihil enim lucidum, nihil coloratum, nihilq; viſibile eſſe poteſt, niſi colorem, lucemque ſuſcipiens, ſui opacitate, ac denſitate retineat: tranſparens vero contrà, nulla terminatam luce, nullo affectum colore ſubſiſtit, quamuis lucem, & colorem vl ra tranſmittenda recipiat, inuiſibile medium, per quod viſibilium ſpecies tranſeunt. Si ergo corpora glorioſa tranſparentia erunt, colorata, & lucida eſſe nequibunt, ſed ab eis exulabit color, euaneſcet claritas, & ipſa colore, luceq; carentia, viſum omnem ſubterfugient aliorum.

Ita ſentit S. Bonau. in 4. diſt. 49. 2. p. art. 5. q. 1.

Ang. Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, lux illa mortalibus incomperta, ſolis lucem tranſcendens, perfectiùs lucebit in corpore tranſparenti, quam iſta luceat in opaco. Dicas igitur corpora glorioſa fore in ſe, ac ſuis partibus tranſparentia, ita vt in eis videri poſſit quicquid nunc interius latet. Erit enim tota corporis ſubſtantia corporeis oculis viſibilis, adeò vt viſcerum, cæterorumq;

Tota corporis armonia patebit.

rumq; membrorum armonia conditoris declaret magiſterium admirandum, dum ſic vnuſquiſque erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc eſſe non poteſt conſpicabilis ſibi.

Ho. Bene ergo percipio corpus glorioſum totum luce perfuſum aliquando lucendi actum ſuſpendere, & interim tranſparens, ac peruium oculis ſe præbere, ſed quod ſimul eodem tempore lucidum ſit, atque tranſparens, difficile eſt intellectu; nihilominus intellectum captiuans in obſequium Angeli, captiuatus & ego in obſequium Chriſti, hiſce dictis angelica auctoritate ſuffultis, licet non humana ratione probatis libenter aſſentior, quodcunque naturalitèr impoſſibile diuina virtute vinci poſſe non dubitans. Duo corpora in eodem loco ſimul eſſe, magis certè repugnat, quàm vt idem corpus eodem tempore ſimul luceat, ac tranſpareat; ſed corpora glorioſa maiorem diuina virtute ſuperant repugnantiam, cur non etiam eadem virtute minorem? Quinnimo his conceſſis fateri quoq; oportet, beatum quemlibet tam benè clauſis oculis, quam apertis, tam clarè retro poſita, ac ſuamet poſteriora viſurum, quàm anteriora, & quæ in proſpectu ſe cernenda obiectant, Sed hic, & non immeritò timere aliquis poſſet, ne tantus glorioſi corporis ſplendor ſit intuentium oculos offenſurus.

Quomodo idē corpus fit ſimul lucidū, & tranſpa

Ang. Nimia licèt claritate caro fulſerit glorioſa, non tamen lumine ſuo intuentium ſe reuerberabit aſpectum, ſed ineffabili quodam modo oculos demulcebit, confortabit clarificabit illeſos. Nec exiſtimes corpus glorioſum totum luce perfuſum, ſolarem machinam imitari, in ſuis quibuſq; partibus confusè, & vniformiter radiantem, non ita, ſed quemadmodum electi inæquali (vti diximus) claritate fulgebunt, ſic non eodem modo, nec pari lumine tota fulgebit æqualiter cuiuſq; corporis in ſuis partibus harmonia, ſed cuncta ſingillatim membra, ſicut diſſimilia ſunt, ita ſuo quæq; ſplendore irradiata fulgebunt: ſic enim eorum magis percipietur diſtinctio, diſtinctorum ſingulariter coruſcantium augebitur pulchritudo & videntium cumulabitur gaudium.

EXVBERANTISSIMA ELECTIS FVTVRA IN EXteriore homine ex dotibus, ac remuneratis ſenſibus delectatio.

CAPVT NONVM.

Ho. QVid tandem in omnem æternitatem immortalia illa Beatorum corpora agent? ſiſtent ne ſemper; an quandoque diſcurrent? ſtabunt ne, an ſedebunt.

Ang. Ad hæc omnia tanta erit illis facilitas, quanta eorum felicitas, quantaq; ſitus ad quodcunque delectabile opportunitas. Beati ſiſtent, cum libuerit, diſcurrent, cum placuerit, infatigabiles ſtabunt, indefeſſi quoque ſedebunt. Sedebit enim

Eſai. c. 32. *Populus ille in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Et rurſus *aſſument pennas, ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.*

Eſai. 40. agiles, impaſſibiles, liberam ingrediendi, & egrediendi vbique libertatem habentes, ſpirituales non natura, ſed poteſtate effecti, ac propterea ſicut Angelis nihil obſiſtit, quin cuncta ad libitum penetrent, ita nullum erit obſtaculum, quod illos retardet, nulla clauſula, quæ illis obſtet, omne ſolidum peruium illorum motibus erit; tanta eos velocitas comitabitur, vt ipſis Angelis æquè celeres ſint futuri, tanta agilitate prædita erit caro, vt in momento ſpiritus præſidentis imperio in omnibus abſque retardatione obtemperet, & ſine grauedine eò ſe diuertat, quò impetus ſpiritus diriget ſe: ſic anima Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ ſuæ modum, obediens, & imperans tam ineffabili facilitate, vt ſit ei gloriæ quod ſarcinæ fuit. *Itaq; fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*

Sap. 3. *Ho.* Hæc ſententia breui verborum circuitu dotes continet electorum. In fulgore claritas, in ſcintilla impaſſibilitas, in arundineto ſubtilitas, in diſcurſu aperitur agilitas. Sed præter hunc motum cogitationum velocitati propemodum adæquantem, Beati nonne etiam, cum voluerint, ſuis pedibus ambulabunt?

S. Bonau. in 4. diſt. 49. 2. p. diſt. art. 2. p. 3.

Motus beatorum erit *Ang.* Et quis dubitat? quinimo vt plurimum, progreſſiui erunt beatorum corporum motus, tamquam hominum proprij,

ipſiſq; corporibus naturales. Frequenter igitur ambulabunt, pedes horum motuum inſtrumenta, ſicut & cætera corporis organa veri homines habituri. Itaque alij ad alios pergent, beneuolentiſſimè alij ſibi inuicem obuiabunt, chariſſimè alij ſe inuicem viſitabunt. Qua pompa, quo decore putas ternæ illæ mulieres Matronarum illuſtriſſimæ, ſeptennario quæque filiorum numero pergent conſtipatæ? O qualis nunc quoque Reginam noſtram procedentem, Virginum, optimorumque omnium ambit comitatus? qualem, quocunque illa pergit, ad ſe honorandam inſtructum aſpicit apparatum? quàm ſuaue, ipſa tranſeunte ſonora dent cantica melos? Tunc quocunque oculos vertas, videre licebit innumera iubilantium, atque canentium contubernia; quàm ſuauis, quàm dulcis nunquam intermiſſa illic reſonat armonia. Si beatiſſimus ille pauperum Patriarca, Minorum pater, & dux, ad breuiſſimum vnius tantùm cæleſtis citharæ di citharam pulſantis ſonitum, ſic commotus eſt, ſic eius anima liquefacta, vt ſeculum ſe commutaſſe putaret; quantùm obſecro tot citharædorum citharizantium in citharis ſuis aures oblectabunt cantica illa dulciſſima, noua licet, non tamen breuia, quorum nouitatem comitatur æternitas?

progreſſus, liceri moueri aliter poſſunt.

Qualis illic armonia.

Ho. Quænam erit præcipua horum canticorum materia?

Ang. Perpetua ſummi conditoris laus, & gratiarum actio; hoc totum; & perenne electorum negocium. Deo nanque gratias referent immortales, quòd dedit illis victoriam per Ieſum Chriſtum, quòd tam glorioſos de hoſtibus reuexere triumphos; quòd ſe Omnipotentis dextera de tantis periculis eripuit, & eruit, quòd ad tanta bona nunquam defectura perduxit. In cæleſti enim patria lætabuntur Sancti pro diebus, quibus humiliati ſunt, annis, quibus viderunt mala; cum mira iucunditate conſiderabunt pericula, quæ euaſerunt, labores, quos pertulerunt, certamina, quæ vicerunt. Sic miſericordias Domini in æternum cantabunt, quo cantico in gloriam Chriſti, cuius ſanguine liberati ſunt, nil erit illi iucundius ciuitati.

Ho. Cantabunt in æternum miſericordias Domini, præteritas, an præſentes?

Ang. Vtraſque in æternum cantabunt, æterna enim futura eſt miſericordia.

Ho. Si æterna erit miſericordia, miſeros quoque in æternum eſſe oportet.

Ang. Rectè in æternum futuram miſericordiam dicimus,

Quomodo in cælis ſit miſericordia, ſi nulla eſt miſeria?

non quia in æternum miſeri erunt, & ideo in æternum eius miſericordia indigebunt, ſed quia ipſa beatitudo, quam miſericorditer miſeris præſtat, vt eſſe miſeri deſinant, & eſſe beati incipiant, non habebit finem, ideo in æternum miſericordia eius; quòd enim iuſti erunt ex iniquis, ſani ex infirmis, viui ex mortuis, immortales ex mortalibus, & beati ex miſeris, miſericordia, eius eſt; hoc autem quod ita erunt, in æternum erit, ideo miſericordia eius in æternum erit.

Quæ erit illorum canticorum materia. Hæc præcipua, & glorioſis oribus indeficiens canendi fine fine materia; Poſt hanc, Sanctorum quondam in agone pugnantium res fortiter geſtæ aliam quoque præbebunt præcinendi materiam. Igitur quàm grauia inuicti Martyres tolerauere, ac vicere certamina, quàm glorioſè victis, triumphatiſq; hoſtibus, parta victoria, reuexere triumphos, in gloriam Martyrum canoris vbique vocibus reſonabit; inuicta Confeſſorum patientia, multiplicibus inuiſibilium hoſtium tentamentis, quaſi longiore martyrio aucta magis in diem. Virginum gloria, ac virginitatis pudor vſque ad ſanguinem ſtrenuè cuſtoditus cantibus extolletur; ſed in omnibus victricem manum Dei, virtutum in præliantibus principem effectricem pariter laudabunt. Licèt ipſę aureolę rubræ, candidæ, ac virides, Martyrum, Virginum, Doctorumque capita exornantes, inuincibilem Martyrum fortitudinem, inuictam Virginum tolerantiam, præclara Confeſſorum, ac Doctorum facinora, ſatis ſuperque etiam linguis ceſſantibus, declarabunt.

Odores ibi ſuauiſſimi. Sed ſi tam multiplex armonia beatum demulcebit auditum; Odoratus quoque ſenſus nec proprio fruſtrabitur actu, nec ſuo priuabitur gaudio; odor nanque ſuauiſſimus ex ipſo cælo, ex corporibus beatorum, & præſertim Chriſti, ac Deiparæ Virginis efflatus glorificatis naribus haurietur.

Ho. Quis talia illic eſſe odoramenta non credet, vbi innumerabilia viua, ac beata degunt Sanctorum corpora, cum ipſa quandoque ſepulchra, fœtida cadauerum domicilia, ob ſanctitatem animarum, quorum corpora condunt, ſuauem ſpirent odorem? Si ergo corpora defunctorum ſanctorum, turpibus oppleta adhuc egeſtionibus odorem redolentia fragrant, quanto magis eadem glorificata poſt nodum corpora, quorum inteſtina nobilibus, odoratiſq; humoribus plena erunt, ſuauiſſimum efflabunt odorem? O verè hortus delitiarum, cuius odoratiſſimæ arbores ſunt viua Sanctorum corpora, quorum

Ipſa beata corpora odorem efflabūt ſuauiſſimum.

fra-

fragrantia excellet quoſcunq; mens humana excogitare poteſt odores.

Ang. Nec reliquæ duæ tactus, & guſtus potentiæ ſuis viduatæ voluptatibus relinquentur, quemadmodum enim electi (vti diximus) ſe inuicem viſitabunt, ſic ſe inuicem tangent, in mutuos & quidem dulciſſimos, ruent amplexus, oſcula viciſſim reddent, iunctis manibus ſe tenebunt, vbique gaudium, vbique inundans, ſed caſta, & ſine vlla impuritate voluptas. Sic Deus torrente voluptatis ſuæ interiùs, & exterius potabit electos.

Ho. Cum ad hunc ſtatum beatiſſimum ventum fuerit, non erit vltra, cur homines de multiplici noſtri corporis imbecillitate querantur, cur videlicet non æquemus velocitate ceruos; leuitate aues; impetu tauros; quòd ſolidior ſit cutis belluis; decentior damis; denſior vrſis; mollior fibris; quòd ſagacitate nos narium canes vincant; quòd acie luminum aquilæ; quòd ſpatio ætatis corui, quòd non bona valetudo, & virtus inexpugnabilis data ſit, & futurorum ſcientia. Ceſſabit inquam, iniqui æſtimatoris humanæ ſortis querimonia, cum homo ſeminatus in corruptione, in ignobilitate, in infirmitate; tunc in incorruptione, in gloria, in virtute æternum animal, atque immortale ſurrexerit in paſſibilitate, agilitate, claritate, ſubtilitate, in ſpirituale corpus tranſiturum. Nota ſtultorum querimoniam.

Et quemadmodum vniuerſa vanitas eſt omnis homo viuens hic genitus ad laborem, ideſt, mera, ſumma, perfecta, plena vanitas, ita vt omnis creaturarum vanitas, & miſeria in humana ſpecie aggregetur, ac omnis vanitatis omnium creaturarum aliquid, aut totum habeat homo dum quæ in alijs eſt diſperſa, in eo vno ſimul inuenitur, atque colligitur, nam vt eſt homo quodammodo omnia, ſiue vniuerſa creatura, ita eſt vniuerſa earum vanitas, quin & ſuperat horum omnium vanitates, & inconſtantias; ita eſt vanitatum, & miſeriarum omnium epitome. Sic contra in vitam aliquando regeneratus æternam, ſi omnes corporati mundi perfectiones, mundus ipſe perfectior complectetur; ita vt quicquid perfectionis, ac pulchritudinis in ſingulis diſpergitur creaturis, in ſe vno realiter, aut eminenter contineat nunquam in poſterùm tranſiturum, reformata imagine diuiniſſimi illius ſpeculi omnia perfectiſſimè continentis, vt in homine ſit æternum, quod in cæteris tranſit, & tanquam fumus in aures euaneſcit.

CONCORS TOT MILLIVM ELECTORVM BEATA fruentium pace ſocietas concentum ſuauiſſimum effectura.

CAPVT DECIMVM.

Ang. INter externa beatorum gaudia adhuc vnum, ſed omnium iucundiſſimum ſupererat memorandum, concentum videlicet ſuauiſſimum, quem efficiet concors illa electorum ſocietas: illic miro modo conſentiet innumera cum ordine multitudo; ſumma cum varietate concordia; tot gentium magna cum vnitate diuerſitas, & quemadmodum concentus quicunque alius ex diuerſis, ſed non ex aduerſis efficitur ſonis; ſic ille quoque ex diuerſis quidem Angelis, & hominibus, ſed charitate concordibus reſultabit. Modulatiſſimum hunc, & nunquam intermittendum in totam æternitatem concentum, Iob myſticè præſignaſſe intellige, cum dixit. *Concentum cæli*, ideſt organorum cæli *quis dormire faciet*? quaſi dicat, nullus certè, atteſtans nullius fore potentiæ ipſis organis ſilentium indicere, aut imponere talem efficientibus concordi diuerſitato concentum, nec ipſa ab eo, quem æquiſſimus rerum moderator conſtituit, poſſe ordine dimoueri. Quale igitur gaudium ſingulis, cunctiſq; commune refert felix illa, immota fruentium pace ſocietas? beatus ille vnanimis vno ore Deum honorificantium cætus.

Gaudiũ maximũ ex ſumma pace proueniens.

Iob. 38.

Hô. Ex cognitione, vel potius experientia mali oppoſiti cognoſcitur bonum; quantæ infelicitatis eſt, inter inuidos, ambitioſos, malignos, ac duplici corde viros commorari? dicant experti. O certè extrema, ſed ineuitabilis infelicitas. Horum namque commercium euitare, aut fugere nemo poteſt, ſi etiam ſecretiora adeas mundum contemnentium clauſtra, adeò nunc pluſquam retro temporibus mundus totus poſitus eſt in maligno; ac propterea plus hodie neceſſaria, quam vnquam fuerit antiqua illa Domini admonitio, vt ſcilicet *Vnuſquiſq. ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum deridebit, & verita-*

Ierem. c. 9

tem

tem non loquetur. O igitur infelix, & funeſta regio in qua nemo valet has effugere peſtes, hos euitare ſerpentes; in qua nihil tranquillum, nihil quietum, ſedatum nihil, nihil vnquam in eodem permanens ſtatu, ſed cuncta in motu ſunt, omnia nutant, fluctuant vniuerſa: Et contra, Felix illa, & feſtiua ſemper viuentium terra, à qua mala iſta procul exulant vniuerſa, in qua ſola regnat charitas, ſolus triumphat amor, in qua ſimplicitas ſic ſua viciſſim ſingulis corda manifeſtat, vt cum vniuſcuiuſq; vultus attenditur, conſcientia penetretur.

Ang. Tunc feruentiſſima illa Saluatoris pro electis fidelibus deprecatio exaudita plenarium ſuum ſortietur effectum. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & Ego in te, vt ipſi in nobis vnum ſint, vt ſint conſummati in vnum.* Ioan. 17.

Ho. Hæc ſententia graue mihi admodum dubium ingerit. Doctores ex his verbis duas fidelium inter ſe, & cum Deo eliciunt vnitates, alteram animorum, corporum alteram: quantum ad animos fideles (vt ipſi docent Doctores) in vnica re indiuidua vnum ſunt, nempe Spiritu Sancto, ſicut Pater, & Filius in vna ſubſtantia vnum ſunt; quamuis humanæ perſonæ vnum eſſe in Spiritu Sancto, ficut diuinæ perſonæ vnum ſunt in natura, ſimilitudine potius, quàm paritate dicantur, nam ſubſtantia eadem eſt in Patre, & Filio naturaliter, & Spiritus Sanctus eſt in fidelibus idem gratia, non natura. Vnitas, qua fidelium corpora vnum efficiuntur in Chriſto, eſt ipſius Chriſti caro realiter in Sacramento ipſis fidelibus data.

Hic vrget dubitatio, an etiam iſta corporum vnitas diſſoluenda per mortem, ſit in reſurrectione reparanda, & perenniter duratura, vt quemadmodum beati vnum erunt in Spiritu Sancto per charitatem, ſic etiam eorum corpora vnum futura ſint in corpore Chriſti, ita vt realiter, & ſubſtantialiter ſemper Chriſtus in illis, & illa ſemper inueniantur in Chriſto, vt modo communicantibus euenit. Si hæc vnitas non erit in patria, profectò magis vnum eſſent inter ſe, & cum Deo viatores, quàm in patria comprehenſores, vtpotè illi inter ſe, & cum Deo in altero tantùm vnum, iſti inter ſe, & cum Deo in vtroque pariter vnum. At quomodo hæc vnitas ſemel reſoluta per mortem, iterum reparabitur, quæ niſi per carnem Chriſti intra ſe realiter ſumptam reparari non poteſt? Grauiſſimum dubium

teſt? ſi aliquis mihi dicat; fore fidelium corpora reparanda, cum eo toto, quod inſtante morte habebant, ſed tunc erant hac prædita vnitate, ideò cum hac vnitate reſurgent. Huic ego reſpondeo, hoc verum eſſe in his, qui migraturi pro viatico Chriſtum ſumunt, ſuaque corpora Chriſti corpus effecta deponunt, at non in his, qui in charitate quidem, ſed ſine communione decedunt.

Ang. Electos vnum fore in Spiritu Sancto quoad animos, & vnum in Chriſto quoad corpora, non eſt cur dubites, ſic enim perfectiſſimè conſummati erunt in vnum; nec tot apud Deum, cui, præter non diligere, nihil eſt impoſſibile, diſtinctionibus opus eſt.

Solutio dubij. Electi igitur in Patria omnes vnus ſpiritus, & vnum corpus effecti, ſecundum totum hominem conſummati erunt in vnum, eritque vnitas illa corporis vniuati ſimillima. Nam quemadmodum vegetata eodem ſpiritu vnius corporis membra, quamuis munere varia, poſitione, ac nobilitate diſparia, nulla prorſus inuidia, nulla vnquam diſſectione laborant, ſed ſociata concordia, ſuo quæq; munere, ac poſitione contenta, de aliorum ſitu, & officio quantumuis dignioribus: velut de proprijs, naturali congaudent amore. Vt extremi pedum digituli tantum gaudent ſe in pedibus ſituari, quantum oculos in digniſſima, ac ſuprema parte corporis reſidere, & viciſſim oculi erga illos, ad quos cum aſpicere opus fuerit, beneuolentiſſimè inclinantur, eoſque ne lædantur, ſuo tuentur aſpectu.

Sic Beatiſſimi illi in vno ſpiritu vniti, vnius corporis membra, cuius caput eſt Chriſtus, effecti, tanta inter ſe nectentur concordia, tanto ſe inuicem proſequentur amore, ac ſi eſſent vnius indiuidui hominis, vnius indiuidui corporis membra. Et licèt electi tanquam ſtellæ fuerint in claritate diſtincti, non tamen inter eos erit inuidia diſparis claritatis, quia regnabit in omnibus vnitas charitatis, cuius tanta vis in illa pace beatos ſociat, vt quod in ſe quiſque non accipit, in alio ſe accepiſſe exultet. Tot igitur gaudijs gaudebunt iuſti, quot erunt Angeli beati, & ſancti homines conſodales; imò quot erunt dæmonum, hominumque damnatorum tormenta, quorum deſperata conſortia Dei gratia ſe effugiſſe conſpicient, quorum pœnas intueri ſic erit eis delectabile, ſicut vobis cum videtis piſces in gurgite ludere.

Illic nullam patietur inſtantiam axioma illud. Quæ ſunt vni

tertio

tertio vnum, inter ſe vnum eſſe oportet: Vni Deo vnum erunt electi, vnum igitur inter ſe, vnum erit omnium velle, vnum omnium exercitium, Deum nempe laudare vna omnium merces, vna omnium poſſeſſio vna omnium fruitio; ſcilicet Deus clarè viſus, carè poſſeſſus, ſummè dilectus. Denique tanta eſt iucunditas lucis æternæ, vt etiam ſi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora; propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs, & circumfluentia temporalium bonorum rectè meritòque contemnerentur; non enim falſo, ac paruo affectu dictum eſt: Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.

Ho. Hucuſque dicere ſolitus eram, contemnenda eſſe bona terrena, quia momentanea ſunt, & amanda cæleſtia, quia ſempiterna ſunt; ſed nunc audio Angelum affirmantem etiam ſi terrena eſſent æterna, & cæleſtia momentanea, adhuc vtriſq; æqua lance libratis, anteponenda eſſe terrenis cæleſtia. At appoſita æternitate cæleſtibus, & momentanea, vixque perceptibili breuitate terrenis; illa omnifariam pretioſa, hæc modis omnibus vilia ſe oſtendunt; ſed illa à ſenſibus remotiſſima, hæc ſupra ſenſum poſita, qualia ſunt, dignoſci, & ſentiri à mortalibus nequeunt; quapropter & malum bonum, & bonum malum allucinati credentes, miſeram hanc, & mortalem vitam, vel potius prolixam mortem diligimus, eamque in longa tempora producere, vel etiam ſi poſſibile foret, in æternitatem extendere cupientes, non verè, diuque viuere, ſed tardè mori, ac lenta morte conſumi miſeri exoptamus. Attamen diuinæ potius miſericordiae, quàm iuſtitiae adſcribendum cenſeo, quod homo per peccatum in tantas prolapſus miſerias, non diu viuere permittatur; quin etiam arborem vitæ in Paradiſo à Deo conſitam, Diabolum latuiſſe, mihi valde probatur, ſi enim cognouiſſet vim eius arboris, vt ſuaſit comedere fructum vetitum ſcientiæ boni, & mali, vt eos miſeros faceret; ita ſuaſiſſet comedere fructum vitæ, vt eos in æternum miſeros, & miſerè æternos redderet.

Ang. Atqui verè ſapiunt, tantum abeſt, vt doleant ſe temporali morti addictos, vt etiam hinc ociùs transferri ad Ciuitatem Dei viuentis, vbi eſt Eccleſia primitiuorum, & multorum millium Angelorum frequentia, ſummis votis die, noctuq; exoptent. Summo cæleſtis patriæ deſiderio hic tenentur electi.

Ho. Ita eſt certè. Quis enim in terra aliena conſtitutus, &

in

in extrema paupertate, ac miſeria degens, votis omnibus viſere non optaret natale ſolum bonorum copia exuberantiſſimum, vt illic cum parentibus, & amicis ſuauiſſimis conuiuendo, omni gaudio, & lætitia frueretur? Hic mundus patria noſtra non eſt, neque hic habemus ciuitatem permanentem: cur ergo tanquam aduenæ, & peregrini à carnalibus deſideriis abſtinentes futuram non inquirimus, cur non feſtinamus ingredi in illam requiem, vbi Chriſto capiti coniuncti, in vero amore, pace, & concordia æternaliter quieſcamus?

DEVS CLARE VISVS, CARE POSSSESSVS, SVMME dilectus eſſentiale electorum gaudium.

CAPVT VNDECIMVM.

Ang. Recenſita hucuſque beatorum gaudia, licèt viatoribus magnifica ſic appareant, vt ipſa ad beandum hominem ſufficere videantur; tamen accidentaria ſunt, & nullius ferè momenti, eſſentiali interioris hominis gloriæ comparata, quippe quæ ſine illis haberi poteſt, & verè habuit ille captiuorum ſub terra Chriſtum expectantium cœtus, & nos his gloriolis minimè indigentes habemus. ſolùm nanque verum, & plenum gaudium eſt, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur, quod cum poſſederis, nemo tollet à te; cui comparata omnis aliunde iucunditas mœror eſt; omnis ſuauitas, dolor; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne poſtremò quodcunque aliud delectare poſſit, moleſtum.

Ho. Quæ igitur, & quanta erunt interioris hominis gaudia, ſi prima illa, & potiora exterioris hominis gaudia in illorum comparatione infima habebuntur? ſi denique externa, atq; accidentaria bona nullius mortalis hominis ſenſus percipere, vel intellectus capere vnquam potuit, quomodò aut percipi, aut cognoſci poterunt bona illa, quæ in apertiſſima Dei viſione, in dulciſſima ſummi boni poſſeſſione, ac fruitione conſiſtunt?

Ang. Ita ſanè chariſſime; ſed gaudeas te præ immenſitate non capere quantùm bonum ſis accepturus, cum ipſe Deus clarè viſus, carè poſſeſſus, ſummè dilectus repleuerit in bonis deſiderium tuum; cùm error à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis receſſerit, & ſucceſſerit illa, quam ſperas, mira ſerenitas; plena ſuauitas, æterna [illegible]; quia tunc

ipſe

ipſe Deus rationi futurus eſt plenitudo lucis, ipſe volũtati multitudo pacis, ipſe memoriæ continuatio æternitatis; ipſe virtutis pretium, ipſe finis erit deſideriorum veſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur: Ibi erit vna in omnibus, & inſeparabilis in ſingulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeſinenter æternorum iucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideo ſuæ liberationis oblita, vt liberatori ſuo non ſit grata, quem Beati plus diligunt, quam ſeipſos, (licèt quantum diligibilis eſt, à nullo, præterquam à ſeipſo, diligi vnquam poſſit) & inuicem tanquam ſeipſos, & Deus diligit illos, plusquàm illi ſe ipſos, quia illi illum, & ſe, & inuicem per illum, & ille ſe, & illos per ſeipſum.

Ipſe totum hominem maximis delectationibus interiùs, exteriùsq; complebit; erit enim ſpeculum viſui, cithera auditui, mel guſtui, balſamum olfactui, flos delectabilis tactui, & denique vniuerſale quoddam bonum bonorum omnium contentiuum, ac plena, & perfectiſſima deſideriorum, & totius cupiditatis felicitas. Sed quemadmodum Beati Deum ſic diligunt toto corde, tota mente, tota anima, vt tamen totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiant dignitati dilectionis; ita etiam ſic toto corde, tota mente, tota anima in vtroque homine gaudebunt, vt totum cor, tota mens, tota anima plenitudini gaudij non ſufficiant. Non igitur totum illud gaudium intrabit in gaudentes, ſed potius gaudentes in gaudium, eſt enim tam magnum, vt nullo modo poſſit in gaudente concludi. Ideo intrabit homo in gaudium illud incomprehenſibile, ſed non intrabit gaudium illud in hominem, velut comprehenſum ab homine.

Ho. Denique hoc vnum ex his omnibus colligo, quòd æterna Sanctorum felicitas, eſt facie ad faciem Dominum intueri, qui cum vnus ſit, & ſimplex, excellenter, & eminentia quadam infinita, in ſe omnium rerum creatarum perfectiones complectitur; & quòd eſſentiale electorum gaudium in tribus dotibus animæ nempe viſione, poſſeſſione, fruitione conſiſtit: prima eſt præmium fidei, ſecunda præmium ſpei, tertia præmium charitatis. Sed num dotes iſtæ hominibus tantùm, an Angelis quoque conueniant?

Ang. Dos quatenus eſt perpetuus animæ, corporiſq; ornatus ratione ſpiritualis matrimonij toti homini ſuperadditus, in æterna beatitudine iugiter perſeuerans, haud Angelis in vni- An Angelis dotes competant.

Cc uerſum

uerſum corpora non habentibus competit.

Ho. Sed nec ipſe ſolius animæ dotes ſecundum propriã dotium rationem Angelis videntur ineſſe; dotes namq; debentur ſponſæ, at anima, quinnimo totus homo, non Angelus ſponſæ titulo honeſtatur, non enim Deus Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, non angelicam naturam ſublimiorem licèt, ſed humanam ſibi deſponſare complacuit; Vnde ex humili ancillæ conditione Regina ad ſolium regnantis euecta, in veſtitu deaurato, circundata varietate, hoc eſt, multiplici gloriæ dote pulcherrima aſſitit à dextris ſponſi, angelica admirante: Meritòq; homo tot gloriæ dotibus ſe cumulatum, atque decoratum aduertens, in hanc vocem lætabundo clamore prorumpit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.*

Eſai 61.

Ang. Dona illa, quæ dotes in anima nuncupantur, Angeli quoque ſub alia licèt ratione, & ſuppreſſo dotis nomine poſſident, ſine quorum poſſeſſione nulli vnquam beatitudo contingit. quis enim verè beatus, niſi Deum clarè videat, carè poſſideat, & ſummè diligat? eoque fruatur?

Ho. Hoc ſaltem negari non poteſt, duplici totum hominem, vnica tantum ſtola Angelum decorari.

Ang. Stola illa ſecunda, qua nos puri ſpiritus minimè indigemus, homines ſuperueſtiri, ſummopere gaudemus. Sed hic finis. Itaque dum præſens hæc vita tot laborum, pœnarumque obnoxia humanos vegetat artus, conſolamini inuicem in verbis iſtis, præ oculis ſemper habentes diem illam votis omnibus optatiſſimam.

Tu vero cariſſime, in ſortem filiorum Dei vocatus, & in bona ſpe conſtitutus, fideliter collabora, donec veniat immutatio tua. Benedic Deum ſemper, & quocunque potes more placere, place; atque irrequieto cordis clamore age gratias Deo.

Ho. Gratiori non poterat periodo tractatus iſte concludi, quid enim nos homines viatores melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explicemus, quàm Deo gratias? Hinc nec dici breuiùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuoſiùs aliquid poteſt, quàm Deo gratias.

FINIS.

BIBL. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM

quæ in hoc opere continentur.

A

AD canticum Virginis tota rerum congeries, & cœlica præſertim clauſtra commouentur pag. 105
ambitio peſtis miſerrima cuncta inficiens, in ipſis quoque religioſorum clauſtris ſe ingeſſit. pag. 148
amoris experimentum maius habet homo, quam Angelus 62
amor primogenita Angeli ad Hominem tranſtulit. 63
amore languentis proprium quodnam ſit 108
amor Dei olim vſque ad comptentum ſui, nūc amor ſui vſque ad comptentum Dei cernitur. 141
angelo coram Homine viſibiliter conſtituto, hinc cum formoſus demulcet aſpectus: hinc ſpectum deterret inuiſum. 2
angelus ſatanæ lucis Angelum ſe multoties fingit. 2
angeli boni aliter Chriſtum confitentur aliter mali. 3
angelus plures de Incarnatione Hæreſes breui confeſſione confutat. 4
angelus de arcanis fidei, non fidem, ſed euidentiam habet. 3
angelus incuſſum Homini metum dulciter excutit. 4
angeli, ſi tantum amoris ſibi conciliant in via vix cogniti, & in propria eſſentia nullatenus viſi, quid non amoris extorquent in Patria plene ibi cogniti, & clare viſi? 6
angelus & Homo, eorumque excellentiæ nequeunt ad inuicem comparari. 7
angelus plenam reſpondendi, ac interrogandi Homini confidentiam præbet. 6
angeli, & Hominis in condendis, reparandiſque naturis diuini amoris elucet immenſitas. 7
angeli mira, memorabiliſque ſententia. 15
angeli canticum nouum ſemper Deo decantare dicuntur: quia ſemper eodem charitatis ardore illum laudant. 28
angeli ſecundi dicuntur ſplendores, primi ſplendoris adminiſtri. 27
angelus non prius fuit, quin gratia plenus fuerit. 28
angelorum gaudium in ipſorum ortu. 28
angelorum fortunata, & numquam ſeneſcenda primordia 28
angelus quod non tot modis Dei gerat Imaginem, quibus Homo, non arguit in ſe imperfectionem. 24
angeli boni triplici luce fulgent, naturæ ſcilicet, gratiæ, & gloriæ. 27. & 28
angelus redarguit Hominis argumentum. 29
angeli ſunt omnino corporis expertes, & nudæ formæ. 33
angelos eſſe corporeos quo ſenſu verū ſit. 33
angeli quanto temporis interuallo viatores fuerint. 33
angeli quid egerunt dum fuerunt in via. 33
angeli boni quibus cauſis moueantur ad odiendos malos. 38
angeli mali tenebræ ſunt, superni luminis comptemtores. 38. & 39
angelorum malorum cognitio, non veſpertina, ſed nocturna dici debet. 37
angeli mali in cunctis diſcordes, ſolum ad perdendum Hominem concordiſſimi. 39
angelorum caſus quam miſerabilis. 43
angelus adhuc viator exiſtens vertibilis ad oppoſita ſemel tantum: ſed Homo vertibilis ad oppoſita ſemper manet. 44
angeli in Mulieris effigie numquam apparuiſſe leguntur. 44
angeli quandoque Dæmones alloquuntur, non Aue, eis dicendo, ſed eis væ potius intimando. 38
angeli pulcherrima admonitio. 48
angelos cur Deus condidit, quos in præceps tam cito præſciuit ituros? 48
angelos malos maxima momordit inuidia reuelato Incarnationis Myſterio. 55
angeli multa Apoſtolis prædicantibus didicerunt. 55
angeli quicquid boni gratuiti habent, eis Chriſtus promeruit 56
angelus miram ſententiam profert pro Hominis dignitate. 57
angeli obſtupuerunt, videntes Deum Hominem pro Homine mori 61
angeli in morte Chriſti quantùm Deus amaret, Homines agnouerunt. 61
angelorum ingens gaudium in egreſſu ſponſi de thalamo. 64
angelus Dominicæ Paſſionis myſteria Homini meditanda proponit. 69
angeli deſiderio de dignitate, & excellentia vtriuſque naturæ. 173

INDEX RERVM

angeli corporum pulchritudine non afficiuntur. 92
angeli decifio de ortu Eccleſiæ. 127
angelus Theologum reprehendit Principes adulantem. 145
angeli ſententia de ſucceſſione mali, ad peius & peioris, ad peſſimum. 152
angelis an dotes competant. 201
angelum cuſtodem poſt Deiparam Virginem quiſque debet inter omnes cœleſtis curiæ Proceres venerari. 2
angelo an ſui Hominis cuſtoditi nota ſit prædeſtinatio. 18
angelus num quem cuſtodit damnari velit, ſi præſcitum cognoſcit. 19
angelo cuſtodi ſummè gratum, Hominem, quem cuſtodit, inuigilare, orationi inſiſtere, & iucunda ſereni animi tranquillitate potiri. 26
angelicæ cuſtodiæ beneficia quam plurima recenſentur. 3
angelicæ atque Humanæ naturæ contemplatio dulcis eſt, ſimulque difficilis. 7
angelica natura omnium naturarũ prima. 20
angelicæ originis mentio cur nulla expreſſe in ſacris litteris habeatur. 31
anima reſpectu compoſiti eſt imperfectum quid, & incompletum, pars totius, non totum. 13
animam Separatam intelligere ad modum Angeli, illi præter naturam neſt. 14
animæ beatæ num præmium ſibi debitum ſtatim recipient? 16
animæ beatæ quam felix in Cœlum ingreſſus. 17
animæ beatæ dotes quæ. 19
anima ſeparata num eodem claritatis gradu alias Animas cognoſcat, & Angelos? 35
anima peccati labe polluta in corpore ſpecioſo eſt velut putre in ornata ſepultura cadauer. 93
anna gauiſa admodum filiam adhuc puellulam ſapientiſſime loquentem audiens. 101
antitheſis inter Chriſtum, & Trinitatem. Item alia inter Virginem, & Luciferum. 83
arguta, & ſenſata Hominis reſponſio. 118
aſſerentes Mariam in originali labe conceptam, nec laude digni, nec vituperatione obnoxij. 117
aſſertum de circulo magni ſeculi fabuloſum, & inter fabulas computandum. 165
ars artium Dæmonum quæ. 158
apud ſuperos magna de Virgine adhuc puellula ſanctitatis opinio. 100
armonia qualis in Patria. 193

B

Beati vident damnatorum pœnas. 180
beatorum ſingulis ſingula attributa domicilia. 182
beati videntes diuinam eſſentiam non omnia vident, quæ eminenter continentur in ea. pag. 185. & 186
beati tot vident in verbo, quot ad ſuum cuiuſque ſtatum pertinent. 185
beati vident eſſentiam Dei, & omnia quæ in ea formaliter continentur. 187
beata viſio gradus habet intenſionis. 187
beati ſiſtent ne ſemper, an quandoque diſcurrent? Stabunt ne, an ſedebunt? 198
beatorum motus erit progreſſiuus, licet moueri aliter poſſint. 192 & 193
beati quæ cantica præcipue frequentabunt? pag. 193 & 194
beatorum corpora odorem ſuauiſſimum eſſiabunt. 194
beati tanta inter ſe nectentur concordia, ac ſi omnes eſſent vnius corporis membra. 198
bellum implacabile inter Angelos lucis, ac tenebrarum deſperata pace geritur. 128
bellorum cauſæ quæ? 169
beneficia amico præſtita quantum ad redamandum inflamment. 59
beneficiorum Dei duo genera Homini exhibita, & quæ ſint. 60
beneficijs creationis tantummodo, Homini numquam innotuiſſet diuini amoris immenſitas. 60
beneficia illa, quæ ſanguine Redemptoris ſunt impenſa, diuinum erga Hominum manifeſtant amorem. 60
Beneficia creationis erant quaſi catenæ ligneæ, redemptionis verò ferreæ. 61
beneficiorum Chriſti encomia. 62
bona naturalia in Angelis ad ſupernaturalia bona diſpoſitiones fuere, non tamen neceſſariæ. 34
boni ſolertiſque Doctoris, ac ſcriptoris munus. 31. & 32

C

Canes muti qui ſint in Eccleſia Dei. 148
caſus primorum Hominum quam infelix. pag. 44
caſus Dæmonum, & primorum Hominum, quantum timoris incutere deberet mortalibus. 45
chriſtus nouos in terra Angelos fabricaturus aduenit. 45
chriſti mors ſumma amoris oſtenſio. 52
chriſtus amoris triumphus, amoris mancipium, amoris prodigium. 52
chriſtus, ſi oporteret vel Cœlo, vel terræ deeſſe, quid potius eligeret? 65
chriſtus quoad ſufficientiam non plus meruit in Cruce pendens, quam in ſtabulo vagiens. pag. 66
chriſtus ex diuini amoris abundantia, quod potuit vno, & leui labore, voluit pluribus, & grauibus promereri. 67
chriſtus idem totum, quod promeruit, toties præſtitit, quoties laborauit. 67
chriſtus moriens, amantis mortui viua amoris imago. 67
chriſto nil gratius eſſe poteſt, quam frequens recordatio eorum, quæ paſſus eſt. 68

chri-

chriſto ſummè miſericordi nihil impoſſibilei quam nolle miſeris in integrum miſereri. pag. 81
chriſtus ſummè inuiſus humani generis hoſti. pag. 58
chriſtus immenſo ſuæ vitæ diſpendio pratioſa quæque nobis contulit. 62
chriſtianus filius Eccleſiæ virginis: Iudæus filius ſynagogæ adulteræ. 130
chriſtianorum munus quod ſit, & quale. pag. 144
claritas, & pulchritudo ſublunarium in renouatione Mundi gradatim maior 162
cœlum Empyreum patrium Angelorum ſolum. pag. 30
cœleſtium manſionum deſcriptio. 182. & 183
cœleſtium ædificiorum myſtica intelligentia. pag. 184
cognitio Beatorum duplex. 31
cognitio Beatorum æqualis in modo: ſed inæqualis in perfectione. 35
colloquium ſponſæ cum Paſtoribus de aduentu Meſſiæ, in quo multa crudite, & deuote tractantur de Natiuitate Chriſti. 105 vſque ad 115.
conſcientia bona ſicut nihil melius; ita nil fœlicius eſſe poteſt. 76
comparatio vera, & propria inter quæ fieri debet. 8
corpora electorum electis ſua pulchritudine ingens gaudium allatura. 188. & 189
corpora glorioſa, non aliena, ſed propria luce fulgebunt. 189
corpus glorioſum eſſe Sole ſplendidius, quo ſenſu intelligatur. 190
corpora glorioſa quomodo lucentia, & tranſparentia ſimul erunt. 190
corporis glorioſi tota armonia patebit. 190
corporum reſurrectio naturæ viribus impoſſibilis naturaliter probari non poteſt 14
corporeis incorporeum indigere, vanum eſt arbitrari 31
corporalis Virginis pulchritudo quanta. pag 82
crucem in media aeris regione fulgentem extrema die electus deuote aſpiciens qualiter alloquetur. 167
cui dulceſcit ſpeculatio amareſcit oratio: quantò vegetior ſpeculatio, tantò areſcentior oratio: quantò illa feruentior, tantò iſta tepidior 16
cura regendi alios onus grauiſſimum, Angelicis humeris formidabile. 76

D

DIalecticis familiarior curioſitas, quam deuotio. 2
dialecticam non damnat Angelus, ſed malè vtentes. 2
dialecticæ inſignis commendatio. 2
deuota admodùm de Virgine in templo oblata contemplatio. 100. & 101
deus nulli ſua conferret beneficia ſi dignis ea tantum conferret. 2
deus ſe habet immediatè ad omnia, quamuis, ſecundum nobilitatis gradum, quædam magis quædam minus illi approximent. pag. 15
deum velle omnem Hominem ſaluum fieri, quot modis intelligatur. 19
deus eſt etiam extra Mundum in toto illo ſpatio, quod imaginarium vocant. 22
diſcrimen inter modum exiſtendi Dei in Mundo, & extra. 23
deus clarè viſus, charè poſſeſſus, ſummè dilectus, eſſentiale electorum præmium. pag. 200
deus, non quid futurum ſit, ſed quid præſens rerum ſtatus expoſcat attendit. 50
diuini amoris nexus morte duriores. 61
deus viuens Angelis: Deus moriens Homini bona contulit. 62
dei omnipotentia in reparando idem numero corpus. 166
deus eſt ſpeculum ſpontaneum quantum ad ea, quæ eminenter continet: ac propterea non omnia omnibus æqualiter repræſentans: quantùm vero ad id, quod ipſe formaliter eſt, ſpeculum naturale eſt, omnibus totum id, quod eſt, naturaliter repræſentans. 187
deſiderium naturæ humanæ hypoſtaticam vnionem ardentiſſimè ſuſpirantis. 64
dæmon veritatis hoſtis, veritatis notitia poſſet. 36
dæmon ex lucifero noctifer effectus: ex coruſcantiſſima Empyrei luce deijcitur. pag 36
dæmonis ad Hominem decipiendum fraus. pag. 37
dæmones cur ita iacuerunt, vt ſurgere numquam poſſint. 43
dæmon nunc magis timidus, quàm timendus. pag. 58
dæmones plus timent fideles in vnum collectos, quàm diſperſos. 141
dæmon Paſtorem ſe eſſe iactat. 142
doctorem in aſſignandis diuinorum operum rationibus ſobrium eſſe oportet. 48
dubium graue admodum proponitur, & ſoluitur. 197. & 198
duplex, & vtraque ingens, humanæ conditionis infirmitas. 146
duplex bonorum genus in Patria. 178. & 179

E

ECcleſia cum ſynagoga collata quàm ſit illa præſtantior. 128
eccleſiæ militantis encomia. 129
eccleſia virgo: ſynagoga meretrix. 129
eccleſiæ ſponſæ cantica canticorum: Synagogæ adulteræ volumen lamentationum miſſa ſunt. 130

eccleſiæ militantis in auctoritate progreſſus. pag. 131
eccleſiæ auctoritatem etiam Dæmones reuerentur. 131
eccleſia ſpirituale dominium habet in omnes, licèt non in omnibus exerceat illud. pag. 132
eccleſiæ militantis temporalis poteſtas quanta. 135
eccleſia circa fidem, quæ inuariabilis eſt, quomodo profeciſſe dicatur. 137. & 138
eccleſiæ quæ nam commoda afferant ſæpius celebrata Concilia. 141
eccleſiæ naſcentis primordia quàm fælicia. pag. 141
eccleſia quoad extenſionem modò progreditur, quaſi Aurora conſurgens, modò retrocedit, quaſi Luna deficiens, 143
eccleſia qua pace his temporibus cum filijs perfruatur. 144
eccleſiæ filij, & præſertim Optimates, quibus incumbant. 144
eccleſia quo ſenſu Vidua dici poteſt. pag 149
eccleſia quomodo deſolata dicitur. 149
eccleſiæ deſolatio ſimilitudine declaratur. pag. 149
eccleſiæ iuniores filij quantùm à præclara Patrum generoſitate degeneres. 152
efficax argumentum, concludens naturam humanam magis Deo appropinquare, quàm Angelicam. 57
efficax argumentum ad probandam immenſam Virginis gloriam. 123
electæ fœminæ eundem ſexum, in quo vicerunt in reſurrectione gaudebunt retinere. pag. 168
electi ſpiritus non ideò boni, quia bona egerunt: ſed ideò bona egerunt, quia boni. 34
electis quomodo cuncta triſtia conuertentur in gaudium. 174
electi ſummo cœleſtis patriæ deſiderio hic tenentur. 199. & 200
elegans diuinarum, humanarumque proprietatum in Chriſto ad inuicem concinnetium deſcriptio. 54
elegans, & deuota gratiarum actio. 74
elegans apparatus ad Virginem celebrandam, atque laudandam. 77
elegibiliu. eſt apud inferos eſſe ſine peccato, quàm apud ſuperos cum peccato. 47
elementum primum, quod in ſchola Chriſti à tyronibus diſcitur eſt: Ama neſciri, & pro nihilo reputari. 10
elementa eadem, ijdemque Cœli in renouatione manebunt: accidentia verò pro illo ſtatu impertinentia peribunt. 163
encomium Virginalis vteri. 99
eruditus, & feruens Hominis diſcurſus. pag. 54
Aeterna Sanctorum fœlicitas, multiplici nomine, ac varijs titulis appellata. 153
euangeliſtæ cur plura de Ioanne, quàm de Virgine ſcripſerint? 81
Exitialem primorum Hominum caſum ſic in aliud Deus commutauit extremum, vt accidiſſe fœlicitatem dixeris, & honorem. pag. 58
excellentius eſt Regem virtute fieri, quàm naſci. 73
ex Angelorum ruina Homines fieri debent cautiores. 43
ex tus humiliter honores fugientium, & ambitiosè quærentium, quàm diuerſi. 152
experientia mali oppoſiti cognoſcitur bonum. 196
extrema Mundi dies reprobis infauſta, Electis, votis omnibus optatiſſima. 170

F

FEruens contemplatio de Angelorum ortu. pag. 27
feſtiuus Mariæ ad Cœlum ingreſſus. pag. 124
flammigera Hominis exclamatio, erga ſe Dei bonitatem attendentis. 57
fides in vnoquoque tripliciter poteſt eſſe maior. 139
fidei feruor his temporibus quàm tepeſcat. pag. 139
fides licèt in omnibus fidelibus ſit vera: in paucis tamen ardua & indubitata reperitur. 140
fides his temporibus rutilat, ſed non ardet: vbique flores, ſed non vbique fructificat. pag. 140
fidelis Chriſti ſectator magis cupit poſt Chriſtum Crucem ferre, & legitime decertare, quam non lata Cruce lætari, & ſine certamine coronari. 79
futuras cordium cogitationes Angeli non attingunt, imò nec præſentes. 39

G

GAbriel legatione perfunctus Mariam genuflexus adorat. 104
gaudet plus Homo ſe Angelis præferri per gratiam, quàm Angelum eſſe per naturam. pag. 73
gaudium Electorum ex ruina impiorum quantum futurum ſit, figura pulcherrima explicatur. 175
gaudium ingens Electorum ad patriam redeuntium. 175
gaudium maximum in Patria ex ſumma pace prouenient. 156
genus Dei genus Hominis, incarnatione efficitur. 57
grata nimis, inſigniſque Hominis ad Angelum reſponſio. 5

gratia per Chriſtum tam in Angelo, quàm in Homine eſt operata, 56
gratia correſpondet amori. 92
graue quoddam dubium, proponitur ab Homine. 57
grauiſſima malorum Prælatorum pœna, in alio ſæculo exoluendæ. 547

H

HIſtoria de Angelorum prælio. 39
homo ex verbis Angeli mira affectus dulcedine, eum tandem agnoſcit. 4
homines poſt Chriſti aduentum ab Angelis ſummopere diliguntur. 5
homo in confinio corporeæ, & incorporeæ naturæ poſitus, dicitur Orizon naturarum. pag. 13
homo inter cuncta, ſupremum tenet excellentiæ gradum, Angelo excepto. 20
homo inter quot Dæmonum pericula ſtulta ſecuritate verſetur. 39
homo conditus eſſet, etiam Angelo non peccante. 51
homo in ſui creatione diei potuit amoris ſuſpirium. 59
homo plus quam Angelus Deo debet. 62
homo peccans maiorem Deo iniuriam facit, quam Angelus. 62
hominis erga Chriſtum ingratitudo execrabilis. 68
homo in extrema mundi die reſurgens, vix, præ gaudio, credet ſe ipſum eſſe, qui olim fuit. 166
hominum cineres Angelico miniſterio colligentur. 166
homo & Angelus vterque intellectualis, ſed intellectuale vtriuſque non idem. 8
homo & Angelus quo ſenſu ad inuicem comparabiles. 52
homo magis ſuperatur ab infimo Angelorum, quàm Angelus infimus à ſupremo. 62
homo quemadmodum hic eſt vniuerſa vanitas, ſic in Cœlo vniuerſalem continebit creaturarum perfectionem. 195
honoribus, quos priſci fugiebant, moderni impudenter accurrunt. 151
humani generis hoſtis, principatus ditione amiſſa, victus fremit, rabieque tabeſcit. pag. 58

I

IGnis Cœlos expurgabit aereos non æthereos. 162
imago Dei perfectiùs in Angelo quàm in Homine reperitur. 25
imaginis ratio conſiſtit in gradu naturæ intelligentis. 25
in Beatis menſura gaudi dilectio. 18
In ſchola Chriſti nulla ætas ad diſcendum infirma. 11
incendium ignis diluuium imitabitur in aſcenſu. 161
incendio illo viua tunc Hominum corpora in cineres redigentur. 161
incendium illud aliter ſanctos, aliter purgatione egentes combuſturum. 162
infinitus in Dei viſione proceſſus. 188
infelicitas, & miſeria Synagogæ repudiatæ. pag. 129
in media aeris regione iuſti ex terra, Iudex, & Angeli è Cœlo venientes ſibi inuicem obuiabunt. 178
innumeris penè eſſentiæ gradibus ſupremus Angelus diſtat ab infimo. 25
in iudicio decernendum, quæ ſint vaſa iræ, & quæ miſericordiæ. 170
in peccato delectatio eſt momentanea, amaritudo æterna. 47
in ſupremo Angelo expreſſiſſimè elucet Conditoris imago. 26
iniuſtiſſima Luciferi aduerſus Deum querela. 40
Inter æternitatem, & tempus, nullius interceſſit creatio. 29
inter eximia beneficia Homini ſignanter collata, Angelicæ cuſtodiæ beneficium computatur. 5
inuchitur Angelus in eos, qui nimiùm obſtinatè vel defendunt, vel impugnant immaculatam Virginis Conceptionem. 120
ioſeph ſponſus Virginis paſtores quàm dulciter alloquutus. 113
iraſci dicitur Deus, & pœnitere, & quo ſenſu. 58
iraſci dicitur Deus, non ſecundum affectum animi, ſed ſecundum effectum operis. 58
iris miſericordiæ ſymbolum. 80
iudicia Dei veneranda, & timenda ſimul. pag. 537
iuſtus hæreditario adoptionis iure cœleſtis regni diademate coronandus. 59

L

LAberintus, per quem vertiginoſa diuagantur ingenia, quis ſit. 12
lachrymæ quandoque compuncti cordis, quandoque deiecti animi ſunt indicia. 11
lætitia magna in reſurrectione ex mutua agnitione iuſtorum. 175
lucifer lapſus e Cœlo qualibus ambagibus ad Hominem decipiendum accurrit. 38
lucifer noluit Deum Hominem adorare. pag. 42
lucifer quantùm in ſui amore exarſit. pag. 42
lucifer è Cœlo lapſus cœpit infeſtiſſimo odio Hominem perſequi. 42
lucifer cum ſe ſequentibus cecidit relinquendus:

dus : Homo cum ſuis pleriſque poſteris cecidit erigendus . 45
lucifer ſub pedibus Deiparæ conculcatus miſera , qua alios præſſerat , premitur ſeruitute . 78

M

MAgiſtrorum communis morbus quis ſit. pag 10
magna perſequutorum confuſio viſis in extrema die Martyribus . 173
maior Chriſtianorum perditio numquam fuit, quam hodie . 159
magnum diuini amoris argumentum erga Hominem . 30
maria virgo humani generis decus , & ornamentum . 51
maria cunctis Deo ſimilior , Angelis quoque comprehenſis . 51
maria longe glorioſiùs quàm Michael cum ſuis, de Diabolo triumphauit . 78. & 72
maria principium viarum Dei , & quare . pag. 79
maria veritatis genitrix mendaces odit . pag. 81
maria principium Miſericordiæ , & Veritatis . 81
maria multiplici ratione principium viarum Dei nuncupatur . 82
maria mons montium Dei . 84
maria olympo ſimilis . 85
maria ſimilis cuidam inſulæ ſuper aquas mirabiliter enatantis . 84
maria mons coagulatus . 88
maria inter viatores,& comprehenſores medium tenuit . 90
maria mons pinguis. 92
maria vas immenſæ capacitatis . 94
maria raptix cordium . 97
maria deſiderium collium æternorum . pag. 94
maria ſupergreſſa eſt vniuerſos in natura , in gratia, in gloria . 96
maria Chriſtum in vtero hoſpitans quid pro penſione exegerit . 98
mariæ immunitas à peccato originali . pag. 115
mariæ immunitas à peccato originali pluribus rationibus comprobatur . 116. & ſequentibus .
mariam ab originali labe immunem faciens non habeat pro dentibus gladios , nec Momi fungatur officio . 117
maria an debitum habuerit contrahendi originale peccatum . 119
mariam vidiſſe quandoque diuinam eſſentiam, pium eſt meditari . 102
maria in conceptione verbi omnem ſuæ exaltationis gloriam agnouit . 102
maria plus meruit filium lactans, quàm Martyr ſanguinem fundens . 123
maria iure maternitatis exaltari meruit ſupra cunctos . 123
maria mater luminum . 125
mariam qualis Virginum , aliorumque cœleſtium procerum ambit comitatus . 193
maumetus totum orientalem orbem labefactauit . 133
maumeti ſecta cunctis alijs ſectis diuturnior. pag. 133
maxima empyrei pulchritudo . 176
michael reſpondet Lucifero . 40
michaeli replicat Lucifer . 41
mirabile ſpectaculum ex eodem ſepulcro quoſdam prodire pulcherrimos , quoſdam fœdos, & horribiles . 170
miſericordiam ſuam Deus mirificauit ampliùs nobiſcum, quam cum Angelis. 51
miſericordia quomodo ſit in Cœlo , ſi nulla ibi eſt miſeria . 123
modus exiſtendi Dei in toto vniuerſo. 22
monachi huius temporis præcedentium Monachorum potius ſimiæ , quàm ſimiles . pag. 151
mortales hic viuere cupientes, non verè,diùque viuere, ſed tarde mori, ac lenta morte conſumi exoptant . 199
mortuorum reſurrectio ſoli Deo poſſibilis . pag. 161
more diſpares diſparia ſequuntur ſtudia,quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias . pag. 30
mulier ſemimendacij inuentrix . 36
muliere , & Diabolo mendacium genitum . pag. 36
mulier ſuamet prauitate futura totius orbis ruina . 45
mulier infauſtum ſpinarum genus . 91
mundus ignis incendio expurgatus , quanta : & quam multiplici pulchritudine decorandus . 160
mundus expurgatus , & noua pulchritudine decoratus, in maiorem, quam antea, notitiam ducet conditoris . 162
mundanum gaudium repentè in nihilum euaneſcit . 171
mutila reproborum corpora num integra reſurgant . 167

N

NAtiua mulierum vitia quàm ingenioſè, & comiter quidam cecinit. 91
natura humana in gratuitis Angelicam ſuperat. 51
naturam humanam excellere Angelicam,quibuſdam ſimilitudinibus declaratur . 53
natura Angelica cryſtallina , natura Hominis vitrea . 51
natura vitrea diuina virtute ſolidior,diuinoque lumine clarior,quam Chryſtallina . pag. 53

natu-

natura humana dum vniretur diuinæ, vale dixit Angelicæ. 54. & 55
natura humana olim ſoror paruula, vbera non habens gratiarum lacte manantia. 55
naturarum, Angelicæ, ſcilicet, & humanæ præclara tam multa ſpeculanda ſe offerunt, vt non facile ſit de ipſarum excellentia iudicium ferre. 7
naturalis angelorum cognitio in ſingulis inæqualis. 34
nec ſolus Deus, nec ſolus Homo eſt complete miſericors: ſed Chriſtus. 80
nefaria nouatorum hæreſis, de iuſtorum præmijs, impiorumque ſupplicijs. 16
non ſæpe ad ſacra ſunt transferenda prophana. 87
notanda pulcherrima angeli doctrina de Animarum ſtatu. 16
notandum pro immaculata Virginis conceptione. 95
noua magiſtrorum caterua ſal inſulſum. 147
nulla ſpirituum lucis, cum Angelis tenebrarum communicatio. 38
nullus ſermo in laude Virginis inuenitur idoneus. 77
nulla in virgine inter vtramque ſubſtantiam colluctatio. 86

O

Odores ſuauiſſimi in patria. 194
omnium virtutum excellentiæ fuere in Virgine. 94
optimum pro his, qui præſunt, exemplum. pag. 50
ordinum diſtinctio in Angelis incœpit a natura, ſed à gratia recepit complementum. pag. 34
ordo inter gratiam, & liberum arbitrium. pag. 95
originale peccatum principium omnium malorum. 90
originale peccatum actualium peccatorum mater. 117
originale peccatum animi pulchritudinem corrumpit, charitatem reſtinguit, mortem affert, & Dei odium accerſit. 117
originale peccatum vt effugeret, renuiſſet Anima Virginis, ſi, antequam corpori vniretur, extitiſſet, ipſum eſſe naturæ, bene eſſe gratiæ, optimum eſſe gloriæ. 118
originale peccatum contrahens fit peccati ſeruus, Deo inimicus, maledicto obnoxius, ipſique Dæmoni ſubiectus. 117
originale peccatum habet veram rationem culpæ. 118
originale peccatum contrahens dicere poteſt: Pereat dies in qua natus ſum. 118
originali peccato, & Maternitate Dei æqua lance libratis, melius eſt eo carere, quam hanc habere ſimul cum illo. 119

P

Palatia num ſint in patria. 184. ad quid ea neceſſaria 182. quæ incommoda ſequerentur, ſi ea ibi eſſent. 183. pulcherrima Theologi de his Palatijs inſtantia. 185
Huiuſmodi Palatia ibi eſſe pium eſt meditari. 185
paradiſum terreſtrem cur Deus condidit exiguo vſui futurum Homini? 49
paradiſi terreſtris deſcriptio ex Baſilio. 49
paradiſus ibi, vbi clara viſio Dei. 177
paradiſum quare in empyreo Deus conſtituerit. 177
paulus quid ſenſerit de bonis Patriæ. 179
peccati acris reprehenſio. 43
peccatum execrabile monſtrum. 43
peccatum infinita fugibilitate dignum. 43
peccatum Deum ipſum, natura mollem, in peccatorem facit eſſe duriſſimum. 43
peccatum primum Angelum ſummis excellentiæ, ac dignitatis titulis cunctiſque gratuitis expoliauit. 70
peccatum in primo Angelo perpetuam infamiæ notam, monumentumque reliquit. 78
philoſophum Chriſtianum quomodo numquam, niſi de peccato deceat contriſtari, Angelus inſigni ſententia edocet. 1. & 2
philoſophica Angeli, & Hominis concertatio. 7
pia Hominis cum Angelo altercatio, quòd Deus mitiùs ſe geſſerit cum Homine, quàm cum Angelo. 46
pia Hominis de ſua inſufficientia proteſtatio. pag. 76
plures hodie de perfectione diſputant, ſed pauci eam ſequuntur. 11. & 153
plures adſunt nobis Angeli ad tuendum, quàm Dæmones ad nocendum. 39
pluribus modis Homo, quàm Angelus Dei gerit Imaginem. 21
plus deuotio, quàm arida, argutia placet Mariæ. 120
Pœnitudo Dei eſt mutandarum rerum immutabilis ratio. 58
poteſt improbus probè loqui, & malus bona verba proferre, vt incautos ſimulata bonitate decipiat. 3
poſt iudicium ceſſabit ille tam multiplex cœleſtium ſpherarum influxus in hæc inferiora, nec vlla amplius erit inter elementa qualitatum pugna. 163
præclara diuini amoris facinora erga Hominem. 64
prædeſtinatio Mariæ in Matrem Dei nullam habet ex parte ipſius Virginis rationem. 98
prælatorum negligentia. 142
præmium initi pro pace certaminis pax. 160
prima gratia Mariæ in conceptione collata quanta. 96
primaria Eccleſiæ militantis origo quando incœperit. 127
primus titulus Virgini attributus: Principium viarum Dei. 78

pro-

profundiſſima Mariæ in immenſum exaltata humilitas. 102
pulchra ſimilitudo, qua explicatur fauſtum beatæ Animę ſummi Regis aulam penetrantis. 17
pulchritudo Mariæ exterior ex multiplici capite comprobatur. 89. & 90
pulchritudo Mariæ motum libidinis extinguebat. 90
pueros cum originali labe defunctos poſt iudicium non fore ſub tenebras recludendos, Theologus efficaciter probat. 168
pueri an iudicandi. 173.

Q

QVàm frigidi, & remiſſi ſint hodie Chriſtiani in fide. 39
quam fallantur mortales opum euaneſcentium amore detenti. 145
quam diſſimiles nouiſſimi Eccleſiæ filij à priſcis illis inueniuntur. 150
quam difficile ſit cœleſtem beatitudinem adipiſci 153
quam timebant ſancti ſalutem amittere, & damnari. 158
quam prærogatiuam habituræ ſunt poſt iudicium quæ iam terræ partes Martyrum ſanguine irroratæ 164
quam fælix & feſtiuus ad Ciuitatem triumphi triumphantium reditus poſt iudicium. pag 174
quæ nam miſerorum Principum auribus a concionatoribus ingerenda 147
qua verborum ſuauitate Chriſtus demulcebit Electos. 173
quare figuratè tantummodo angelorum origo fuerit inſinuata. 32
quid ſit inane illud ſpacium, quod Theologi conſiderant extra mundum. 23
qui nam ſint fructus Solis, & Lunæ, moralis interpretatio. 94. & 95
quicquid gaudij ex recte factis accedit Beatis numquam tranſit: idem dicendum de reprobis, quoad pœnas illis accidentes ex male geſtis. 172
quieſcent orbes, & luminaria in eodem puncto ſiſtent, quo moueri cœperunt. 163
quomodo inter Angelum & Hominem comparatio fieri poſſit. 12
quomodo Deus mitiùs ſe geſſerit cum Homine, quam cum Angelo. 45
quot mirabilia fuerit Deus operatus in Virgine. 85
quot modis intelligatur Regnum Cœlorum vim pati. 154
quot modis dicatur via virtutis arcta. 156

R

RAtio imaginis tam in Angelo, quam in Homine dupliciter ſpectanda. 50
rationes ab Homine inductæ confutantur ab Angelo. 31
redemptoris Paſſio quando cœpit habere efficaciam. 67
regula obſeruanda cum de priuilegijs conceſſis Virgini agitur. 116
regula obſeruanda pro cognoſcenda Dœmonum fraude. 143
religioſorum miſeriæ quæ. 20
religionum fundatores vſque ad Mundi finem continua accidentalium gaudiorum incrementa ſuſcipient. 17.
religioſi huius temporis priſcis relati, Echo ſimiles. 151
repræhenditur Theologus Synagogam meretricem vocans. 130
reprobi ſpiritus non ideò mala egerunt, quia mali: ſed ideò mali, quia mala egerunt, pag. 34
reprobi quàm ægre ferent Electorum fælicitatem 172
reprobi poſt iudicium non videbunt Electorum gloriam. 181
rerum mundanarum inconſtantia earumdem rerum contemptum ſuadet. 145
reſurgens Electus, ſe ipſum dulciter alloquens in quæ verba prorumpet. 166

S

SAcerdotum dignitas cum Virginis dignitate pia quadam æmulatione contendit. 65
ſancti, qui cum Chriſto ſurrexerunt, immortales effecti. 124
ſapientum inſipientia magna. 21
ſapientiæ Dei inuentiones in Angelorum conditione. 27
ſatan, non naturam, ſed gratiam timet in Homine. 79
ſatan victus a Virgine exclamat: Nihil contra me ſexu infirmiore validius. 78
ſatanæ ſola Virgo infeſtior, quàm cœleſtis militiæ fortiſſimi quique Principes. 79
ſcientiæ ſublimiores in ſchola Chriſti ſtultitiæ reputantur. 10
ſcientia humana deuotione carens quam infirma ſit, & inualida ad res diuinas capeſſendas. 12
ſcientiarum veritas, non autem morum in Dœmone illuceſcit. 37
ſcientificum circa rem ſatis notam non decet admirari. 8
ſcientifici quamplures ſine morum veritate, ſe eſſe veridicos gloriantur. 37
ſcoti opinio mirabilis de Euchariſtia. 81
ſenſatum Theologi reſponſum. 52
ſententia notabilis de Hominis exaltatione, pag. 56
ſententiæ notabiles prolatæ ab Angelo de Mundanorum miſeria 145
ſeraphim ſi cum Virgine comparentur, nulla fere illorum ad illam inuenitur proportio. pag. 58
ſexuum diſtinctio an futura ſit in reſurrectione. 167

ſimi-

ſimilitudo ſatis accomoda ad explicanda bona cœleſtis patriæ 178
ſpecies ſacramentales ſua viduatæ ſubſtantia, ſubſtantiam alunt. 10
ſpiritualis in Anima pulchritudo attenditur penes gratiam 92
ſtultorum querimonia. 194
ſub Cœli & lucis creatione productio Angelorum compræhenſa. 32
ſumma Conditoris dignatio, ac pietas erga Hominem. 5
ſumma eorum, quæ de Angelis Theologi tradunt. 32
ſummus Pontifex in temporalibus quoque ſummam habet poteſtatem. 135
ſummus Pontifex poteſt mutare Regna, transferre imperia, atque dominia 136
ſupernæ fælicitatis acquiſitio, vel iactura a fidelibus parumpenditur. 158
ſuperbi inanem ſequuntur gloriam, confuſionem miseri, & ignominiam apprehenſuri. pag. 11
ſuperexcellens dignitas Hominis ſupra Angelos. 56
ſupremum bonum in ſuprema corporum altitudine proſpectari, decentiſſimum fuit, pag. 177

T

TEmporali Christi Natiuitati Angeli adfuere omnes, & ipſum Christum adorantes, ei iuramentum fidelitatis iurauerunt. 104
terra poſt innouationem mira pulchritudine decoranda. 164
terra innouata nullo vnquam corruptibilis animantis temeranda veſtigio. 164
theologus viſo Angelo expaueſcit. 2
theologus redargutus ab Angelo compungitur, & ſuam, in ſcientijs deflet vanitatem. pag. 10
tremendum iudicium, quod Deus exercuit in Angelos, ſummopere terret Homines. 46
tres in Claſſes diſtincta tota Beatorum Hominum vniuerſitas. 52
tres Dei cum Homine vniones. 63
triplex Mariæ Virginis ſtatus. 88

V

VAniſſimi huius Mundi tituli dementiam potius, quam excellentiam explicant mundanorum. 77
varia ſanctorum placita de ortu Eccleſiæ. 127 & 128
vera tranquillitas eſt pro hoc ſtatu, quam confert recte factum, & bona conſcientia. pag. 76
vexillum miſericordiæ olim pro medietate abſconſum, totaliter nunc eſpanſum vbique reſulget. 81
vices rerum alternæ. In melius aduerſa: in deterius optima flectuntur. 95
viciſſim Deus, & amorem vicit, & fuit victus amore. 58
victoria Virginis contra Luciferum. 78
viduæ quamplurimæ non tam viris, quam virtutibus viduatæ. 150
virgo Maria cur bis mons pinguis appelletur. pag. 93
virginem Deiparam ab omnibus laudari ſummopere delectat Angelos 53
virgini Deiparæ vtriuſque Hominis pulchritudo elegantiſſime ineſt. 93
virginis Deiparæ, & ſeruorum Dei infinitum pene diſcrimen. 98
virgini Deiparæ vera dignitas maior adſit, gratiæ, an maternitatis. 99
viſorum, & videntium ordo in patria qualis ſit. 186
viuax Crucis appræhenſio Crucem magis aggrauat, quam alleuiet. 76
vniuerſalis reſurrectio eadem hora contingent, qua Christus reſurrexit. 169
vter expreſſius Dei gerat imaginem, Angelus, an Homo. 25

Errata Corrigenda. Primus numerus paginam, ſecundus lineam Indicat. Primum verbum demoſtrat erratum ſecundum correctionem.

Pagina ſecunda linea prima decent, corripe deceat. 7.11.ſpeculando, ſpeculanda. 10.20.ſubſtantiæ,ſubſtantia. 14 7.modum ſequitur,modus ſequitur. 21.21.Dei,Deo.26.2 primus eſt,dele,eſt. 9.6. voce,voces.34.2.ſuperbire,ſuberbiere.38.4.ſpiritum,ſpirituum. 39 3.auerti,auerſi. 40 6. noueum, nondum. ibidem 24.oriuabuntur,priuabuntur. 44.25.detenui, de tenui. ibidem 29. ſpiritum, ſpirituum. ibidem 35.morituram,moriturum. 46.32.ſpiritum,ſpirituum. ibidem 37.ſerutor, ſerutator. 48.10.&,vt.ibidem 39.innitar,innitatur,53.33.creata,erecta 54.18 voces,vocas. 58 17.affectum,effectum 62 25.immerſo,immenſo.63 1.pœnitenti,adde,Adæ. ibidem 6.Deo,Deus.63.32. Claritatis, Charitatis. ibidem 37.ipſam,ipſum.64.25.aatum,natum. 65.30.admitteret,amitteret.71.5.ſed cum, lege,ſed cum nec.80.32 vtranq. vtraq. 84 17 priuatos,priuatas.85.1.tonitrius,tonitruis.94.15 vltimi,vltimum. ibidem 29 Cedrorum,Dei,lege ſine coma,cedrorum Dei. 95 37 Indiget, Indiect. 107. 23.vniuerſitatem,vniuerſum.112.12.auentitia, ruentia.117.39.incalaſcis, incaleſcis. 135. 1. quod ſuum,adde eſt, 142.9.vota,voto.148.9.gregem,gregum. 151.14.voce,voci.161.40 rapient,rapientur. 162 37.ſidereum,ſiderum.164.27.nimirum,nimium,174.25.repectent,repetent, 185.22.doceat,docet 189.18.ſecus,ſicut.195.40.aures,auras, 195. 40.

5-3-1